AMMONII HERMEÆ
IN ARIST. PRAEDICAMENTA
COMMENTARII,

Per Bartholomæum Syluanium Salonensem Latinè conuersi.

Index omnium rerum locupletissimus accessit, & præterea Annotationes marginales suis locis diligentissimè accômodatæ, per Excel. Abracium Appulum philosophum solertissimum.

Quæ nunc omnia accuratissimè excusa eduntur.



Ne quis hunc usquam alius suæ ditionis locorum impune librum imprimat, alibiue impressum uendat, & Pontificis Maximi, & Venecti Senatus Illustrissimi Decreto cautum est.

Venetiis apud Hieronymum Scotum.

1547

AMMONII HERMEÆ
IN ARIST. PRAEDICAMENTA
COMMENTARII,

Per Bartholomæum Syluanium Salonensem Latinè conuersi.

Index omnium rerum locupletissimus accessit, & præterea Annotationes marginales suis locis diligentissimè accômodatæ, per Excel. Abracium Appulum philosophum solertissimum.

Quæ nunc omnia accuratissimè excusa eduntur.

Ne quis hunc usquam alius suæ ditionis locorum impune librum imprimat, alibiue impressum uendat, & Pontificis Maximi, & Veneti Senatus Illustrissimi Decreto cautum est.

Venetiis apud Hieronymum Scotum.

1547

ARISTOTELIS GENVS ET VITA.



ARISTOTELES fuit genere Macedo, ciuitate Stagiris oriundus, filius Nicomachi, Amyntæ Macedonum regis medici. Vnde et filiũ quem suscepit, patris memoriæ gratia commendandi, appellauit Nicomachum. ad quem & libros de moribus, quibus titulus est Nicomachea, conscripsit. matre autem natus est Phæstide. Horum porro uterq; & Nicomachus & Phæstis ab Aesculapio genus ducebant. id quod dictum in Aristotelem epigramma testatur hunc in modum habens.

Nicomacho genitore satusque, & Phæstide matre
Est Asclepiadis dius Aristoteles.

Post obitum uero Nicomachi et Phæstidis Aristoteles apud hospitem quendam Atarnensem educatur. cuius etiã nequaquam immemor officij, nõ eius filium modo uicissim aluit Nicanorem, omniq; imbuit literarum genere, uerum ipsum sibi quoque filium adoptauit. uitaq; decedens legauit, ut nuptui Pythais eius filia Nicanori collocaretur. Aristoteles igitur per teneram adhuc ætatem liberalibus disciplinis erudiebatur: ut quæ ab eo de rebus poeticis, & aduersus poetas scripta sunt, necnon Homeri problemata, & Rhetoricæ artes declarant. Annum uero natus decimumseptimũ, Pythia quoq; ei philosophari iubente, Athenas concedit. ubi Socrate uetere præceptore, cum eo triennium agit. Cæterum extincto Socrate ad Platonem uenitat: quicum per uiginti annos uersatur. adeoq; strenuam nauauit operam, ut Plato Aristotelis domũ Anagnostæ, id est Lectoris domum uocaret. Non enim Aristoteles Lyceum uiuente adhuc Platone, ut quidã suspicantur, ad eius æmulationem aperuit. quomodo enim efficere id potuit, cum tunc potentes admodum essent Chabrias & Timotheus Athenis Imperatores, & Platoni genere coniuncti? Nonnulli sane Aristotelem uiuo etiamnum Platone Lyceum aduersus hunc aperuisse dicere ex eo conantur, quod in pluribus Platoni refragetur. quibus respondendum, non contra Platonem simpliciter pronunciare, sed aduersus eos, qui minus platonica intellexere. Quod si uel Platoni ipsi reclamet, nihil esse absurdum: cum & in his Platoni consentiat. sunt enim ipsius Platonis uerba, Veritatẽ magis curare quam aliud quidquam oportere. Nimirum hæc quoq; ad uerbum inquit,

» Amicus quidem est Socrates, sed ueritas amicissima. et alibi, pau
» lum quidem Socratis habenda ratio est, ueritatis uero quampluri
» mum. Fecit hoc ergo & Aristoteles, tametsi nec quæ sunt a Platone dicta subuerterit. quippe et hic consentanea illi peregit, cum despicere ueritatem nollet. Deniq; quod Platonem uidelicet magna beneuolentia prosecutus Aristoteles fuerit, ex eo cõpertum est, quod aram Platoni dicauerit, in qua sic inscriptum reliquit,

Ipse Platonis Aristoteles hanc condidit aram,
Laude malis quem fas nec celebrare, uiri.

Vsus est Aristoteles Platonis familiaritate annos uiginti. uita autem defuncto Platone, scholæ succedit nepos ipsius ex sorore Speusippus (fuit enim is filius sororis eius Potones) Aristoteles uero in urbem sese Macedonum contulit: ubi Alexandrum conditorem instituit bonis artibus. magnaq; huius pars imperij fuit. nam plurimum apud regem ualuit, potentiaq; opportune est usus, tum singulis priuatim, tum omnibus publice promerẽdis. Et quidem quod beneficia priuatim in multos contulerit, declarabunt quæ eius cõmendatitiæ feruntur de quibusdam ad regem epistolæ. Quod uero & publice iuuerit multos, perspicuum ex eo fit, quod Stagirorum oppidum solo æquatũ Alexandro ut deintegro conderet suasit. unde & festum diem Stagiritæ celebrant Aristoteli, quem Aristotelium uocant. mensem uero in quo solemne id agunt, nominant Stagiritem. Quin Eressum quoq; Theophrasti ciuitatem cum ab rege Alexandro male tractanda esset, ab iniuria uindicauit. Cæterum post hæc cum diem suum obiisset Speusippus, accersunt Athenienses Aristotelem. duoq; hi scholam Platonis excepere Aristoteles atque Xenocrates. docebatque in Academia Xenocrates, Aristoteles in Lyceo. Postmodum uero Aristotele seditione inter Athenienses coorta, in Chalcidem secessit, utiq; cum hoc Athenienſibus dixisset, Non patiar uos bis in philosophiam peccare. etenim morte iam Socratem Athenienses damnarunt. Significauit quoque Antipatro regi difficile esse Athenis agere. Porro & uersum illum dicebat Homericum,

Inque piro pira, fico ficus inque senescunt.

Quasi Atheniensium ex his calumnias arguens. Rursus uero in Macedoniam reuertitur Aristoteles: multumq; apud eius tempestatis reges Alexandrum, & Olympiadem eius matrem, & Antipatrum, ac Philippum ualuit. Scripsit uero unico libro & ad Alexandrum de regno: quo ipsum quonam pacto regnum administrari conueniat docet. Deniq; cum eo, uel usq; intra Brachmanas penetrauit: ubi respublicas quinquaginta quinque supra ducentas concripsit. Hunc comitatus est & in Persidem: unde bello confecto, atque Alexandro uita perfuncto, in patriam suam rediit. Fuit hic uir moribus plusquam satis moderatus. excessit in philosophia humanos limites, de ea nihil omittendo commentatus. Atqui ex eius ipsius ingenio ac solertia compluribus additis, totam philosophiam numeris omnibus absoluit. Nam logicæ quidem adiecit, cum regulas discreuerit a rebus, & demonstratiuam rationem ac uiam confecerit. Norant enim ueteres demonstrare: at demonstrationes facere haud quaquam sciebant. quibus idem cum ijs accidit, qui corij secandi artem exercere nõ possunt, uti uero calceis possunt. Physicæ quintam essentiam adiunxit. Theologiæ uero etsi nihil accreuit, nihil de ea tamen tractauit in quo quidquam desideres. Non enim, ut arbitrantur nonnulli, sola ea quæ mundi ambitu continentur, sed & quæ supra mundum sunt norat: uto octauo quoque palam facit uolumine naturalis auscultationis: primam inquiens causam neque per se mobilem, neque per accidens esse. ex hoc sane indicans, diuinitatem supremam ac moderatricem neque corpus esse, neque obnoxiam affectibus. Vixit Aristoteles uniuerso tempore annos tres & sexaginta. Nanq; annum agens decimumseptimum Socratem audit, eique per triennium adhæret fuit & cum Platone annos uiginti. uixit uero a Platonis interitu tres & uiginti. Hæc de uita Aristotelis habuimus dicenda.

QVAESTIO VTRVM PARS AN INSTRVMENTVM PHILOSOPHIAE SIT LOGICE.

QVANDOQVIDEM Autem propositus liber Logicæ principium est commentationis, ut in orationis serie explicabitur, necesse est utrum pars an instrumentum Logice philosophiæ sit, disquiramus. Haud enim ignorandum est, philosophatos iam pridem uiros, quosdam philosophiæ partem esse, qualis Stoicus chorus fuit uniuersus: alios instrumentum, ut Peripatetici omnes, Logicen pronunciasse. Plato autem Logicen partem simul atque instrumentum dixit: partem quidem in Phædro, instrumentum uero in Parmenide: ubi iuuenes inquit, quoad iuuenili ætate fruuntur, in garrulitate præexerceri oportere, ut postmodum a falso discernere uerum possint. Ex quo igitur Logicen garrulitatem uocauit, ex hoc instrumentum ab eo dictam coniecimus. non enim garrulitatem appellare eam ausus fuisset, si partem putasset philosophiæ: ne philosophiam garrulitatem nominaret. Fieri uero potest ut idem pars instrumentumque sit, uerbi gratia manus. Est enim hæc tum dandi, tum accipiendi instrumentum, pars autem corporis uniuersi. Suam igitur opinionem Stoici duabus asserunt argumentationibus, quarum prima hunc in modum progreditur. Si omne id inquiunt, quo utens utitur neque pars alterius cuiusquam neque particula est, ipsius necessario utentis aut pars est, aut particula. Sicuti & medicina præfinitrice uictus ratione utitur (græci hanc διαιτητικὸν uocant, quasi uictuariam latine appellaueris) quæ quoniam neque pars alterius neque particula est, ob id medicinæ pars est, aut particula. uerum pars quidem curatricis, particula uero practices siue actiuæ existit. Porro additum orationi est, si illud neque pars neque particula alterius est, ob astronomiam. hanc enim usurpat gubernatoria. ac quoniam prius philosophiæ pars & particula est astronomia, pars nimirum mathematicæ, contemplatricis uero particula, eam ob rem gubernatoriæ neque pars est, neque particula. Quare si Logicen usurpat philosophia, hæc autem scientiæ alterius pars aut particula non est, philosophiæ igitur est. Prima itaque ipsorum est huiusmodi quidem argumentatio, sed quam facile redarguas. nam ego quoque retorto dicam sermone, quoniam grammatica & rhetorica & medicina ratiocinandi utuntur facultate, alia ut suas ipsius regulas recte sese habere demonstret, alia ut placita sua constituat, ac neque pars neque particula alterius est artis, plane dictarum artium pars erit aut particula. Præterea sermonem quoque imperfecte protulerunt. siquidem dicere eos oportebat, Si id omne quo utens utitur, artis alterius uel scientiæ neque pars est, neque particula, neque instrumentum: ipsius uel pars, uel particula, uel instrumentum erit utentis. quoniam igitur philosophiæ neque pars est, neque particula ratiocinandi facultas, eius necessario erit instrumentum. Nam quod uerbum hoc, neque instrumentum, addi sermoni opus sit, hinc datur intelligi. utitur enim medicina phlebotomo, quod alterius neque pars, neque particula est artis, ergo medicinæ. At si uera sunt hæc, quandoquidem phlebotomum corpus est, erit & medicina corpus, quasi ex corpore quoque consistens: id quod absurdum est, cum habitus animæ sit ac scientia. Secunda uero ipsorum argumentatio id genus est. Nulla inquiunt, ars proprium instrumentum molitur. si ergo Logicen facit philosophia, non eius instrumentum, uerum pars erit. Cæterum hanc quoque euertimus aggressionem ex euidentibus, dicimusque & artes alias suorum inuentrices instrumentorum esse complures, ut incudis excusoriam, quod ipsius instrumentum est. eodem modo & materiariam mallei. Quid ergo uel hic incommodum sit Logicen philosophiæ instrumentum esse dicere, tametsi eius opus effectusque est? At uero Peripatetici instrumentum, ut supra dixi, philosophiæ Logicen esse uolunt, pluribusque utentes argumentis, partes non se mutuo cõplecti aiunt, uerbi causa non contineri in naribus manum. Quod si Logicen quoque in contemplatiua & actiua comprehendi uideamus, non pars tamen erit ipsius, sed instrumentum. Item, si quæ parti insunt ea non Logicæ insunt: quæuero competunt instrumento, ea Logicæ quoque ipsi competunt, constat non ut partem esse, sed uti instrumentum. Est enim partis ob seipsam non ob aliud factam esse: ut contemplatiua, cum pars philosophiæ sit, sui, non alterius gratia facta est. perinde uero & actiua. At instrumento datum est, ut ad aliud, non ad se usu referendo fabricatum sit. Logice ergo non suipsius, sed alterius causa conflata est. nempe ut in contemplatione uerum a falso, bonum autem a malo in rebus agendis discernat. Hæc porro si sic habent, instrumentum ergo philosophiæ Logice est. Præterea si partem esse philosophiæ logicen supposuerimus, quoniam pars omnis eandem toti materiam finemque obtinet, logice autem neque materiam eandem cum philosophia, neque finem habet. eius igitur nequaquam pars erit. Nam res quidem philosophiæ materia sunt: finis autem, similem sese Deo præstare. At logices materia, uoces & propositiones: finis, demonstrationes conclusionesque, Item pars alijs coniuncta partibus totum complet: adempta diminuit. at logice horum efficit neutrum. non pars igitur, sed instrumentum. Atque hæc quidem Peripatetici: quibus minime est refragandum. Plato autem, ut ante diximus, & partem eius & instrumentum pronunciauit. Quemadmodum enim duplex inquit sextarius est, alter quo metiris, alter quem mentiris: ac metiens quidem, instrumentum metiendi est, quem autem metiris, totius is pars est humoris: eodem pacto & Logice semota quidem a rebus, philosophiæ instrumentum: rebus uero accommodata, pars est philosophiæ.

LECTORI.

Quoniam Interpres in uertendo Ammonio ea tantum Aristotelis uerba, quæ in impresso Ammonij græco exemplari nactus est, latina fecit, nos studiosorum utilitati consulentes, integram absolutamque Prædicamentorum dictionem ubique suis locis ex Boethij translatione adijciendam curauimus, ne quid tibi præterea requirendum esset. Vale.

AMMONII HERMEAE COMMENTARIORVM IN PRAEDICAMENTA ARISTOTELIS PRAEFATIO.

VEMADMODVM cum introductiones auspicaremur ea dicebamus, quæ ad omnem philosophiam spectarent, deinprospositi nobis intentionem libri definiebamus: ita nunc quoque exordientes, priusquam Aristotelis tractatum aggrediamur, dicamus ea quæ ad Aristotelicam omnem philosophiam pertinent: tum sic quem præ manibus habemus prædicamentorum libri intentionem decernemus. Decem autem sunt quæ præmitti debent capita. Primum, quot modis philosophorum sectæ nominentur: ut qualis etiam fuerit sectæ Philosophus dignoscamus. Secundum, de Aristotelicorum operum diuisione. Tertium, unde Aristotelicorum operum sumendum initium sit. Quartum, quis finis Aristotelis philosophiæ. Quintum, quæ perducat ad finem uia. Sextum, quodnam genus sit Aristotelicæ elocutionis. Septimum, cur obscuritati studuerit. Octauum, qualis sit oporteat auditor. Nonum, qualem interpretem esse conueniat. Decimum, quot sint capita singulis Aristotelis cõmentationibus præfanda. Hæ itaque summæ sunt, quæ quæri debent. Causa uero etiam exploranda est ob quam solas has, atq; nec plures nec pauciores indagamus. Enimuero eam plane didicerimus si sermonem ex diuisione complectamur. Itaque philosophorum sectas septem modis dici sciendum est: aut a sectæ principe, ut Platonici, & Pythagorei. aut a principis patria, ut Cyrenaici ab Aristippo, & ab Euclide Megarici. aut a loco in quo commorabantur, ut Academici a Xenocrate, & Stoici a Citieo Zenone. aut a iudicio in philosophando, ut qui Ephectici, idest Inhibitores, uel hæsitatores nominantur. aut a uitæ genere, ut Cynici, quibus præfuit Antisthenes. aut a fine philosophiæ, ut Hedonici hoc est Voluptuarij, qui Epicurei sunt. aut ab accidente, ut ab ambulatione Peripatetici, nimirum ab Aristotele deducti. Inhibitores ergo huiusmodi de causa dicebantur. Pyrrho sectæ Princeps indeprehensionem, hoc est certitudinem nullam esse in rebus asserebat: talique exemplo utebatur. Quemadmodũ inquit fieri nequit, ut in fluuium bis eundem introeas (ante enim elapsus est quam secundo irruperis) ita nec de rebus plane enunciare quidpiam licet. quippe cum earum quoque sit fluxilis natura, atque in eo quod fiat ac desinat ipsum esse obtineat. quamobrem interrogati annuebant solum aut abnuebant, mutatas antea res esse quam responderent putantes. At uero discipulus eius Heraclitus absurditatem intendens, ne semel quidem licere in idem flumen ingredi affirmabat. prius enim quam totum sit demersum corpus, aqua præterfluxit iam plurima: ita sese habere & rerum naturam. habent enim esse in motu ac fluxu omnia. quare & Inhibitores nominabantur, quod responsiones de rebus inhiberent atque supprimerent. Plato autem cum hanc sententiam pluribus confutaret rationibus, post multa hoc quoq; infert ipsis argumẽtum. Heus homines qui esse indeprehensionem dicitis, num indeprehensionẽ esse an nõ, deprehendistis? Nam si deprehendistis, est deprehensio. sin minus, habenda uobis fides non est, ut qui indeprehensionem esse non deprehendistis. Cæterum Cynici sic uocabantur ob loquendi fiduciam, ac reprehendendi. Nam cani philosophum quiddam inesse, ac discernendi uim quandam aiunt, quippe externos latrat, blanditur domesticis. sic ij quoque, uirtutes, quique uirtuti addicti uiuerent, agnoscebant amplexabanturque: uitia uero, atque eos qui obnoxiam uitijs agerent uitam, uel si reges fuissent, insectabantur atque allatrabant. Voluptuarij ex eo nominabantur quod uoluptatem finem statuerent, uoluptatem autem non corporalem, sed tranquillum statum animi, & perturbationibus uacantem, ac studiosæ uitæ comitem. Porro ij male sentiebant cum accidens uirtutis siue umbram finem constituerent. Peripatetici autem eiusmodi de causa sic dicebantur, Plato enim ex excitationis gratia deambulans, sodalibus sese ad docendum dabat. cui cum successisset Aristoteles, actionis siue accidentis cognomen adeptus est. Age ergo diuisionem quoque Aristotelicorum operum faciamus. quorum aliqua particularia sunt, ut Epistolæ. quædam uniuersalia, ut Physica, Liber de Anima, & alia. nonnulla in medio sunt, ut Respublicæ, & Historia de Animalibus. Particularia igitur, & quæ in medio sunt, ualeant. Vniuersalium uero alia sunt ordine accurateque conscripta (syntagmatica græci uocant) alia commentaria, in quibus sola capita describuntur. cõmentariorum alia sunt uniformia, nimirum quæcunque ei de uno scripta sunt speculamine. nonnulla uaria, quæ scilicet de pluribus confecit. Ordinariorum seu syntagmaticorum quædam ex ipsius auctoris persona (autoprosopa græci appellant) & auscultatoria sunt. aliqua collocutoria (græce dialogica) atque extraria. Scripta autem ea quæ ex auctoris persona atque auscultatoria dicuntur, partim contemplatiua habentur, partim actiua, partim instrumentaria. Contemplatiuorum nonnulla physiologica, nempe in quibus de natura tractatur. aliqua mathematica. alia theologica. Actuorum quædam ad mores colendos, quædam ad domus, nonnulla ad Reipublicæ administrationem pertinent. Priora illa græce Ethica, altera Politica, postrema Oeconomica nominantur. Instrumentaria tum in ea discernũtur, quæ methodum antecedunt, tum quæ de ipsa agunt methodo, tum quæ aliter ad methodum conducunt. Sunt ergo particularia quæ ad aliquem scripta priuatim sunt, ut Epistolæ, & quæcunq; rogatus ab Alexandro Macedone de Regis officio, ac quo pacto colonias deducere oporteat, perscripsit. Vniuersalia uero, ut naturales tractatus, & de Anima, uel qui de Generatione atque interitu docent. de uniuersalibus enim rebus in id genus disserit libris. Media uero, ut Respublicæ, & de Generatione animalium commentationes. quatenus enim de animalibus agitur, uniuersale habent: quoad uero non de omni simpliciter generatione, particulare sibi uendicant. Porro Commentaria nomi-

G nant illa quæ ad res memoriæ suggerendas sibi annotabant, Consueuerunt enim ueteres cum antiquorum libros perlegerent, ipsorum de quauis re sententias exscribere, & argumenta quibus ea assererentur communirentur q; neque id solum, sed quæ ipsis quoque legentibus placerent, scriptis sæpenumero memoriæ gratia mandabant, ut si quando de re aliqua scribendum esset, uetustiorum de ea opiniones in depromptu haberent, ueluti propriorum librorum materiam. Ex Commentarijs ea uniformia nuncupabant in quibus de sola re una obseruabatur, ut de Anima, de Cœlo, uel quopiam alio. Varia autem in quibus de pluribus collectum est rebus. Cæterum Syntagmatica ea dicunt quæ elocutionem habent erudito operi consentaneam, & capitum diuisionem ordine decenti dispositam. At Syntagmatica tum collocutoria sunt, tum auctoris ipsius personam referunt. Sunt ipsius personæ ea in quibus ex persona sua docebat, quæ et auscultatoria nominant, quod ad suos legitimos q; auditores uerba faceret. Collocutoria autem non ex propria persona conscripsit, uerum quemadmodum Plato aliorum personas introducens. quæ & extraria nuncupabant, quod ad uulgi utilitatem scripta essent. Plurimum uero differunt ab Auctoris personam referentibus collocutoria. in illis enim tan

H quam ad iustos uerosq; auditores sermonem faciens, & quæ ipse sentiat dicit, & exquisitißimis fulcit argumentis, quæ assequi uulgus non potest. In Collocutorijs autem, uelut ad communem ac multorũ utilitatem scriptis, ea quibus ipse assentitur pronunciat: idq; non per demonstratiua, sed simpliciora argumenta, quæque percipi a pluribus ualeant. Diuiduntur quæ ex Auctoris persona sunt, in Contemplatiua, & Actiua, & Instrumẽtaria. quoniam in hæc duo distincta est philosophia, Cõtemplatiuum, atq; Actiuum. Contemplatiua sunt in quibus de ueritate mendacioq; considerat. Actiua in quibus de bono & malo scrutatur. At uero quoniam de bono & malo, & uero & falso non leuis est hominibus controuersia, alijq; aliud bonum, et malum, & uerum, & falsum esse arbitrantur, instrumentum quo hæc discernerentur nobis oportuit tradere, id quod est demonstratio. Porro aliud nihil demonstratio est quam demonstratiuus syllogismus. Vt enim tignarius faber amußi utitur instrumento curuis ac rectis lignis discernendis, necnon ædificator perpendiculo quo rectos atque obliquos dignoscat parietes, sic philosophi demonstrationem habent regulam rectam certamq; rerum diiudicandarum. Diuidunt Contemplatiua in na

I turalia, & mathematica, & theologica. Sunt theologica quæ ipsi post naturalem tractationem scripta sunt. eaq; sic τὰ μετὰ τὰ φυσικά, id est Postnaturalia nuncupauit. Omnia enim quæ supra naturam sunt, theologiæ docere proprium est. Naturalia uero, ut eæ ipsæ quæ physicæ uocantur. & quæ de Generatione & Corruptione inscripta sunt, ac similia. Mathematica horum media habentur, partimq; a materia separabilia sunt, partim separari non possunt. scripsit enim & lineas quasdam. Actiua quoque in moralia (habet enim moralem tractatum) & in Oeconomica, ac ciuilia diducuntur. Instrumentariorum autem quædam de ipsis methodi principijs sunt, ut prædicamenta, & Liber de Interpretatione, & duo Priorum Resolutoriorum uolumina, alia de ipsa pertractant methodo, ut Posteriora Resolutoria, in quibus de Demonstratione præcipit. Loci uero, & sophistici Elenchi, & artes Rhetoricæ, & ut placet nonnullis, quæ de poetica prodidit, ex se quidem ad methodum nequaquam conferunt, faciunt tamen & ipsa aliter ad demonstrationem, cum per ea methodos secundum quas paralogismi hoc est mentitæ ratiocinationes fiunt, doceamur. Tertium deinceps erat caput unde Aristotelica opera auspicari cõueniat. Itaq; Boethus atque Sidonius a naturali tra- K ctatu inchoandum putant, utpote familiariore ac noto. semper autem a manifestioribus incipiendum ac cognitis. Huius uero præceptor Andronicus Rhodius diligentius exquirens, initium a Logica sumi oportere affirmabat, quæ circa demonstrationem uersatur. Quando igitur Philosophus in libris suis omnibus demonstratiua docendi ratione ac uia utitur, egregie nobis hæc prius elaboranda est, ut scripta eius reliqua facile assequamur. Sunt qui a morali incipiendum arbitrentur. prius enim mores excolere, itaque adire alios tractatus oportere, ne turbata ab affectibus ratione non exactas de rebus sententias feramus. Quod siqui a Logica malint, ut quæ nos ad principia ducant, ac qualis uirtus id genus existat cum demonstratione intelligamus, dicimus primum recte opinando id scire nos, dein post etiam demonstratiue debere. Quare tametsi demonstrationes nõ intellectu percipimus, ipsa tamen prius operã moralis sciẽtiæ edocti, uluere secundum ea recta opinione conuenit. tum demonstratiuas deinc aggredi methodos. Quis uero finis est Aristotelicæ philosophiæ? omnũ inquam principiũ nosse, omniũ opificem causam, sempiternam, atq; eodẽ se modo habentem. Omniũ enim principiũ idemq; incorporeum demon- L strat, deduci autẽ ex illo uniuersa. Sed quænam hunc nos ad finem perducunt? nempe doctrina eorum quæ intẽpore ac mutatione consistunt. eiusmodi sunt generabilia corruptibiliaq;. ab ijs enim nos ipsi ad sempiterna perindeq; se habentia mathematicarũ interuentu subducimus. id genus cœlestia sunt itaq; post incorporeas substantias ad primam omnium causam transcendimus. Nam cum motus omnis, aut ad substantiam, aut ad quantitatem, aut ad qualitatem, aut ad locum pertineat, generationi interitionique; addicta motus genere omni, cœlestia uero locali duntaxat cientur. Quamobrem decenti ordine pergendum est ab ijs quæ multiplici genere ad ea quæ uno ac solo agitantur, atque ita ad immobile, quodq; eodem pacto sese perpetuo habet principium. neque in oraculo pes est transgressor mittendus. Si enim a corporibus ad primum omnium principium semel accedere uelimus, illud quoq; corpus esse arbitraremur, ac figura descriptum. Qua de re tradenda inquit Plotinus iuuenibus mathemata sunt, ut incorporeæ assuescant naturæ. Aristotelis autem scribendi genus ubique est elocutione exactum. fugit enim semper Philosophus rhetoricas exornationes, solum explicandæ ac ueluti oculis subijciendæ rerum naturæ intentus. Sæpe etiam compressum, atque obscure dissertum, non ex scribentis natura, sed ipse data opera id egit. nam loca, meteora, aliaq; dilucido stylo est persecutus. Ergo obscuritatem affectauit, ut legentes ingeniosiores magisq; idoneos redderet ijs quæ dicerentur composite audiendis. utque ignauos auditores ex primordijs auerteret. siquidem legitimi iustique auditores quo sunt obscuriora dicta, eo magis certando euincere atque intima subire conitendunt. Itaq; obscuritate propter profanos rerum inuoluens dignitatem obscuritate perinde ac uelamine est usus. Auditor esse iustus debet, ingenio perspicaci, literarum studiosus, moderatione animi præditus, ac undequaq; ornatus. Horum autem librorum enarrator neque beneuolentia ductus conari debet quæ perperam dicuntur consentanea facere, eaq; ueluti a tripode excipere, neque recte prodita prauo sensu per odium capere, sed eorum esse incorruptus iudex. atque auctoris sensum aperire in primis, illiusq; placita interpretari, tum quid ipse sentiat afferre. Capita autem quæ libris Aristotelis omnibus antefari oportet, hæc sunt, intentio scopusue, utilitas, inscriptionis ratio. an legitimus Philosophi liber sit, ordo lectionis, diuisio in partes. Intentio tractatus naturam

detegit

A detergit atq; dilucidat, & legenti quomodo intelligendum quidq; sit ueluti habitum præbet. nam quidquid dicitur, ad operis intentionem id parat dirigere. quam qui ignorat, similis cæco est, haud, quonam feratur, scienti. ac quæcunq; ad intentionem pertinent, ab auctore temere dici putabit. Vtilitas studium alacritatemq; inuehit auditori. Qui enim incepturus quidquam est, quem fructum ex ipsa illius utilitate accepturus sit prius oportet condiscat. Quoniam uero in libris quibusdam titulo minus dilucescente a scopo aberramus, causam cur inscriptum ita sit quærere conuenit, ut in prædicamentis, ac libro de Interpretatione, atq; alijs. nam in commentatione de Cœlo, uel de Anima, nõ est inscriptionis ratio seruanda. quippe cum ex se ipsa perspicuitatem habeat. Quærimus etiam an suus legitimusq; sit Philosophi liber. tres enim causæ Aristotelis libris dignoscendis errorem fecere, una æquiuocatio auctorũ, fuere nanq; & Aristo. alij, quorũ scripta ob æquiuocationem nonnulli huiusce Aristotelis esse existimarunt. altera, librorũ æquiuocatio. Eudemus enim & Phanias ac Theophrastus eius discipuli præceptoris exemplo prædicamenta, & de interpretatione, & resolutoria scripsere. Tertia huiusmodi est, Ptolemæum

B Philadelphum Aristotelis conquirendorum operum perinde ac reliquorum perstudiosum fuisse tradunt, pecuniasq; ijs persoluisse qui Philosophi ad ipsum libros afferrent. quo factum est, ut quidam lucri spe libros Philosophi nomine inscribentes cõportarent. sane libros in magna bibliotheca Resolutoriorum quadraginta, Prædicamentorum duos inuentos affirmant. suntq; hic Prædicamentorum, Resolutoriorum autem quatuor ueri legitimiq; Aristotelis iudicati ab interpretibus, tum ex sententijs uerbisq;, tum quod huiusce libri Philosophus alibi identidem meminerit. Lectionis ordinem exquirimus, ne maiora primum attingamus, atque ea quibus cognoscendis alia præcedere anticipariq; oportet, ignari quæ nobis cognosci in primis debeant. Diuisionem uero in partes, quoniam totius discere exacte naturam uolenti, huius partes diligentius inspectandæ sunt. ut si hominem nosse exquisitius uelis, hulus caput, & pedes, & manus, partesq; cæteras cognoscere perinde debes. sic ergo & operis partes cuiusq; prius in quot ac qualia diuidantur operæ precium est intelligas. Cæterum id sciendum, non ubiq; omnibus ijs explorandis opus esse, uerum in quibus occulta est perspicuitas. sæpe enim cum intentione iuxta utilitas

C dilucescit. uerbi gratia in commentatione de Cœlo, uel de Anima manifesta intentio est, & utilitas, atque inscriptio. in topis locisue ne unum quidem ex ijs conspicuum est. sed neq; illico simul quoq; utilitas cognita patet intentione. nam eius in Topicis intentio est dialecticam nobis tradere methodum. Est porro Dialectica, uti ipse definit, methodus quæ de proposito omni problemate ex opinabilibus ratiocinatur. quod si de omni proposito, non solũ autem uera, sed falsa etiam in quæstionem uocantur, qualis hoc loco utilitas? methodum nosse qua falsa etiam colligemus. Itaq; pergens ipse utilitatem nobis detegit, commentationem ad tria utilem esse inquiens, ad exercitationem, ad uulgares disputationes colloquia ue, ad philosophiæ methodos. at in prædicamentis ac libro de interpretatione emicat simul cũ intentione utilitas, ut deinde postdemus. atq; hæc quidem de Aristotelica omni philosophia prodita sint. Sed dicamus & de proposito Prædicamentorum libro quæ intentio, quæ utilitas, quæ inscriptionis ratio sit, quis ordo lectionis, utrum suus iustusq; Philosophi liber existat, quæ diuisio in capita. Hæc, uti diximus, Aristotelis tractatibus singulis præmitti oportet dicenda. Quidam de Prædicamentorũ intentione in diuersas abiere sententias, atq; alij de uocibus solis intentionem esse pro

D didierunt, qualis fuit Alexander, nimirum ex Aristoteleis dictis unculis decepti sic habentibus. Eorum quæ dicuntur, alia per complexum dicuntur, alia sine complexu, quod si uoces sunt quæ dicuntur, patet esse ei de uocibus intentionem. Qui uero de solis rebus esse intentionem putarunt, qualis Eustathius fuit, de rebus a Philosopho diuisionem fieri aiunt dicente, Entium alia de subiecto dicuntur. quod si entia res sunt inquiunt, ergo de rebus ipsi intentio est. Ad de solis conceptibus disserere philosophum rati, qualis fuit Porphyrius, de decem generibus sermonem esse affirmant. Hæc autem considerari in multis, posteriusq; esse genita, quæ scilicet animo nostro inhærent. proinde hoc libro uerba de conceptibus ab Aristotele fieri. Cæterum falsus quoq; is est ex Aristotelis uerbis ad finem positis dicentis, De propositis ergo generibus hæc dicta sufficiant. genera autem ubique Aristoteles uocat, quæ sunt in pluribus ac mente concepta, Verum qui exactius loquuntur, inter quos uel Iamblichum censeas, neque de solis ei conceptibus esse, neque de uocibus solis, neque de rebus duntaxat sermonem ferunt, sed de uocibus res conceptuum interuentu significantibus prædicamentorum intentionem esse. Verum enimuero non recte priores definiuisse, sic licet perdiscamus. Dicant ij qui de rebus E ipsum disserere aiunt, quoniam rerum nonnullæ in sola cogitatione positæ sunt, ut Centaurus, et Hircocerus, quædam a natura producuntur, de quibus ei sermo est? de ijs dicturi proculdubio sunt, quæ in natura existunt. Vtrum ergo capta harum notione nos ita per uoces de ijs edocet? omnino sane cõfitebuntur. fieri enim haud potest, quin a uocibus res per medios significẽtur cõceptus. ergo & de omnibus disputabit. Dicant et qui tractare eum de uocibus solis, aut solis conceptibus perhibent. quoniam uoces conceptusq; partim aliquid significant, partim ipsum esse uocetenus obtinent ac cogitatione, de quibus agere ipsum censebitis? nimirum de ijs dicent quæ res significant. nullus enim philosophis, uel de uocibus uel de conceptibus sermo est significatu carentibus. ergo cum de uocibus res significantibus uerba faciat, res quoque ipsas per medios conceptus attingit. cunq; de conceptibus agat res indicantibus, de ipsis per uoces conceptus interpretantes disputabit. nudi enim si animi essent, nec corporibus impedirentur, nudis inter se agerent conceptibus congrederentur q;. nunc coercitis corporibus non aliter quam per uoces suos mutuo significare conceptus ualent. Quoniam uero res quædam simplices sunt, quædam compositæ (simplex res Socrates est, composita Socrates ambulans) eo- F dem modo mentis quoque conceptiones & uoces partim simplices, partim compositæ sunt. Simplex enim uox est Socrates simpliciter. & conceptio simplex de Socrate. composita autem uox, quæ dicit, Socrates currit. & conceptio composita, de Socrate currente, utrum de simplicibus hoc loco disserit rebus uocibusq;, an de compositis? atque de simplicibus inquam. Iccirco prædicamentorũ intentionem exquisite definiẽtes hic disputari de simplicibus uocibus affirmamus, quæ simplices res per medios simplices conceptus significant. Verum ut luculentior sermo noster euadat, quædam nobis utilia ad eorum quæ dicturi sumus diluendam repræsentationem assumamus. Quoniam enim Philosophiæ sicuti prodidimus pars altera contemplatiua est, altera actiua, contemplatiuæ finis est ueritatis cognitio, actiuæ boni adeptio. utrique autem obstant contraria, ueritati falsitas, & bono malum, noster uero animus, ut qui imperfectus est, sæpe pro ueritate mendacium eligit, uerum id esse existimans, & pro bono malum, quod bonum esse id putet. Philosophis igitur aliquo instrumento opus fuit, quo ueritatem a falsitate, & bonum a malo discernerent. Sed quod-

G nam est, hoc demonstratio. quidquid enim bonum esse demonstratum fuerit, id ex necessitate est bonum. & quidquid malum probatum euidenter fuerit, id malum est. Similiter & uerum ac falsum.

Idem supra. 1. o. C. Quo enim pacto materiarius faber regula, ædificator perpendiculo rectis ac nō rectis uiitur discernendis, ita Philosophus demonstratione, ut ueritatem falsitatemq;, et bonū & malum discernat. Porro demonstratio syllogismus est scientiā parlens. amplius enim scientiario syllogismo patet is qui simpliciter est syllogismus. nam simpliciter syllogismo accedens certa aptaq; materia eodem modo perpetuoq; se perinde habens demonstratiuū syllogismū constituit. Verū quontā docere de demonstrattione nō poterat, nisi prius quid esse simpliciter syllogismus docuisset. quemadmodū nec rectā, aut curuam figuram describere quisquā ualet, nisi scribere simpliciter prius didicerit. rursus uero simpliciter syllogismus sine propositionibus tradi nō poterat, ex ijs enim collectio quædā constat oratio num multiarū, ut uel nomine ipso indicatur. propositiones autē sine nominibus ac uerbis, nam ex ijs compositæ sunt. at nomina et uerba citra simplices uoces, etenim significatiua uox est nomen & uerbum, de uocibus prius simplicibus iure disserit. Vniuersaliter enim contemplationis finis fit actionis principium. contraq; actionis finis principium contemplationis. uerbi gratia ædificator domo proposita secum ait, domum institui fabricandam, quod operimentum est imbribus æstibusque arcendis. uerum hoc nisi tectum fiat ædificari nō potest. hinc igitur contēplationem inchoat. procedens uero inquit, sed hoc fieri nequit non extructis parietibus. neq; extrui possunt ij non tactis fundamentis. neq; hæc rursus iaci non effossa terra. Hic contemplatio desit. inde ergo initium capit actio. nam primum terram defodit, tum sic iacit fundamenta. deinc parietes erigit, postremo fastigium imponit, quod finis est actionis. at actionis principium, finis est contemplationis. Perinde igitur & Philosophus facit. Nam demonstrationem conficere cogitans secum inquit, libet de Demonstratione dicere. uerum quoniam demonstratio syllogismus est scientiæ opifex, non potest is de eo uerba facere qui antea quid syllogismus sit nō prodiderit. neq; simpliciter syllogismum edocebimur, nisi quid propositio sit didicerimus. propositiones enim orationes quædam sunt, quarum collectio est syllogismus. Quare non cognitis propositionibus syllogismū perdiscas nequaquam licebit. siquidem ex ijs constat. sed neq; propositionem sine nominibus ac uerbis, ex quibus omnis constituta est oratio. nomina autem & uerba sine uocibus simplicibus. siquidem horum quodlibet significatiua uox est. proinde ante de simplicibus est uocibus dicendū. Hic ergo cessauit contemplatio, sicq; hoc actionis initium. nam in Prædicamentis de simplicibus primum agit uocibus, tum ita in libello de Interpretatione, de Nominibus, Verbis, Propositionibusq;. postea de syllogismo simpliciter in resolutorijs Prioribus. demum in Posterioribus Resolutorijs de Demonstratione. Hic ergo finis est actionis, quod erat contemplationis principium. Iure igitur primum hoc loco de simplicibus uocibus disputat, Homines enim uulgo cōgressi suum cuiq; rei nomen ex composito indiderunt, id solum nimirum curantes, ut res inter se per uoces significarent, nō tamen dicerent quid nomen sit aut uerbū. De ijs igitur in Prædicamentis edisserit. Sed quoniam non de uocibus agit significatu carentibus (neq; enim harum rationem habent Philosophi ullam) constat de uocibus conceptus significantibus haberi sermonem. necesse est enim ut si sit res. eius quoq; nomen existat, & ante hoc quam rei habemus notionem. Vt Socratis nomen, est uox Socrates. res autem, Socrates ipse. notio quæ in animo hæret, cognitio de Socrate. Est igitur intentio Aristoteli de simplicibus uocibus res simplices per medios simplices conceptus significantibus dicere. atq; hæc quidem de intentione. Quod autem utilis Liber ad partem philosophiæ contemplatiuam actiuamq; sit, ex prædictis dilucidat, si demonstratio quoque, ut ostendimus citra simplices uoces nequit cognosci. ac quoniam de communitatibus in quas entia omnia diuiduntur edisserit. Causa uero inscriptionis id genus est. Prædicamenta, siue, ut græci dicunt, Categoriæ inscriptus est Liber. non quod de Categorijs, hoc est accusationibus quæ in foro agitantur disputet. non enim Rhetorem agere instituit. sed, uelut in introductionibus quoq; didicimus, duplex est generum differentia. nam quædam generalissima sunt, & genera duntaxat. nonnulla subalterna, quæ species generaq; dicuntur, superiorum quidem species, genera autem inferiorum. ac prædicantur solum quidem generalissima, subalterna uero Prioribus subiacent, de Posterioribus prædicantur. hic autem de decem generalissimis agit generibus, quæ prædicantur tantum, subiacent nunquam. ob id igitur Categoriæ, id est Prædicamenta Librum inscripsit, quasi dixerit de generibus ijs quæ duntaxat prædicantur. Ordo lectionis ex intentione clarescit. Quoniam enim contemplatio huc uti diximus terminauit, inde inchoanda est actio. ac quoniam simpliciora oportet compositis anteire, simplicior autem est decem Prædicamentorū præceptio, si ut proditum est de decem uocibus tractat quæ simplices res conceptuum simpliciumi interuentu significant. Librum omnes Aristo. legitimū esse testantur, id quod et locutio declarat, quodq; in alijs cōmentationibus Philosophus libri meminerit. Enimuero duobus inuentis ut dictum est Prædicamētorum uoluminibus, tum in cæteris, tum in exordio prope consimilibus (est enim alterius initium, Entium quædam æquiuoca sunt, quædam Vniuoca: quod idem ferme est cum huiusce libri principio) hic uerus iustusque esse Philosophi iudicatus est Liber ab interpretibus omnibus. Diuisio libri in capita tripartito distincta est, in Anteprædicamenta, Postprædicamenta. In prima Sectione docet utilia ad Prædicamentorum doctrinam. Vt enim consueuerunt Geometræ utilia speculaminibus tradendis quid punctum, quid linea, quid circulus sit prius docere, ne inter docendum, aut perigrinis uti nominibus, aut de ijs quidquam præcipientes digredi, ac propositi seriem abrumpere cogerentur, perinde quoq; hic Philosophus, quoniam futurum erat, ut in Prædicamentorū doctrina dictiones quasdam, aut uoces nobis ignotas cōmemoraret, eam ob rem de ijs primū edocet, ne sermonē turbare ac confundere uideatur. In secundo segmento de ipsis docet Prædicamentis. In tertio rursus de quibusdā agit uocibus quarum in Prædicamentorum præceptione cōmeminit, ut de uerbo simul, prius, atq; habere. Ac quam ob causam ante Prædicamenta non una de omnibus docuit? quoniam inquam uoces hæ partim incognitæ omnibus sunt, ut æquiuocum, uniuocum. (horum enim notionem nullam habet bona pars hominū) partim nota quidem illa usu, sed quæ aliqua tamē articulata declaratione egeant, ut simul, priusq;. Quæ ergo ignota plane sunt, ea doctrinæ prædicamentorum necessario præmisit. quando si ignorarentur illa, utiq; eramus ea quæ de Prædicamentis traduntur haud quaquam intellecturi. utitur enim ijs ad Prædicamentorum præceptionem. reliqua uero, inarticulate inquam nobis cognita, post prædicamenta edocemur, ne longum faciat exordium, atque instituto opere accessorium prolixius reddat. Porro adinuenta est in partes diuisio ad operis perspicuitatem. ubi enim quod libri capita sint, ac de quibus uerba fiant didicerimus, dicta assequemur facillime, nec ea confuse, atque indistincte capiemus.

DE

A DE AEQVIVOCIS.

Tex. 1. AEQVIVOCA Dicuntur, quorum nomen solum commune est, secundum nomen uero, substantiæ ratio diuersa: Vt animal, & homo, & quod pictum est. Horum enim solum nomen commune est, secundum nomen uero, substantiæ ratio diuersa. Si enim quis assignet quid sit eorum utrunque quo animal est, propriam assignabit utriusque rationem.

AEQVIVOCA dicuntur, quorum nomen solum commune.} Si nudi nostri essent solutique corporibus animi, res inter se significare per ipsos conceptus uallerent. uerum quoniam deuincti corporibus nebulæ instar intellectricem uim suam obtegunt, indiguere nominibus, quibus mutuo res indicarent. Sciendum itaq; est, nobis inuicem res, uel per nomina, uel per fiinitiones innotescere. uerbi gratia & per uocē homo, et per finitionem dicentem, animal rationale mortale, hominem declaramus. Sed cū per uocem, homo, designamus hominem, totam simul ipsius intelligi damus naturam. cum notamus finitione, quæ particulatim homini adsunt contemplamur. Res igitur inter se, aut communicant nomine, definitione uero differunt, uocantur que æquiuoca. aut communicant definitione, differunt nomine, quæ multiuoca nuncupantur: aut & nomine, & finitione conueniunt, hæc appellant uniuoca. aut demum finitione ac nomine dissident, quæ diuersiuoca nominantur. Cæterū aliud diuersum esse, aliud diuersiuocum oportet intelligas. Sunt quidem diuersiuoca, res quæ circa unum idemque subiectum considerantur, nomine autem impartiuntur diuerso, ut ascensus in scalis descensusq;. atque aliter quidem ascensus definitur, aliter descensus. nomina quoque diuersa sunt. Ascensus enim atque descensus. hæc igitur proprie diuersiuoca nominant. Diuersa autem quæ in omnibus alia sunt tum subiecto tum nomine, ut homo & equus. Porro de solis æquiuocis ac uniuocis præceptionem facit, quod solis ijs in prædicamentorum explicatione egeat: nimirum in hoc quoque æmulans geometricum genus docendi. nam & illi sola ea a quibus in proposito libro iuuantur, uel theoremate anticipare consueuerunt. Vel etiam aliter dixeris, nempe cum amator sit perpetuus breuitatis, per hæc de cæteris quoque nos potestate edocere. siquidem cognitis ijs, manifesta & reliqua erunt, utpote opposita. Est enim oppositorum scientia eadem. Nam qui æquiuocum quid sit nouit, huic quoque oppositum nouerit, multiuocum inquam. Si enim æquiuocum id est quod communicat nomine, re autem est differens, ut mus, & marinus, & terrestris: ergo multiuocum est id quod huic exaduerso est positum, quod re scilicet idem est, nomine discrepat, ut ensis, gladius, spatha. Similiter qui etiam quid uniuocum sit intelligit, nempe quod finitione consentit ac nomine, ut homo Socrates, & Plato, is etiam quid sit diuersiuocum callebit, nimirum quod finitione nomineq; discordat, ut ascensus ac descensus. etenim & nomine, & re distat, tametsi idem utrique subiectum rei sit. ut enim esse aliud frumento est, aliud semini, aut fructui, ita esse aliud scalæ est, aliud ascensui descensuique: certum enim respectum circa scalas actionis hæc indicant nomina. Præposuit autem in docendo Aristoteles æquiuoca, quoniam simpliciora sunt, communicantque uno duntaxat nomine, quodque priora natura sint æquiuoca uniuocis. eus enim æquiuoce de prædicamentis dicitur, nec uniuoce. Cæterum nisi hæc conuenerint omnia, nequit æquiuocum fieri, identitas nominis, toni, generis, casus, spiritus, terminationis. nam si aliud atque aliud nomen sit, constat non esse æquiuocum, quod si idem sit nomen, tonus autem diuersus, neque id æquiuocum est, ut ἄργος & ἀργὸς. Primum enim penultimam acuit, & Vlyssis canem significat: alterum acuta ultima socordem designat. & si masculinum sit, significat uel canem Vlyssis uti diximus, uel Herois nomen. sin neutrum, nomen ciuitatis. similiter βίος & βιὸς. habente enim tonum penultima, uita est, βιὸς autem est arcus, si ultimam acuas. Et rursus si sint hæc, idem uero casus non sit, non facit æquiuocum, ut ὁ ἐλάτης & τὸ ἐλάτης. illud enim recti est, & aurigam significat, aut alium quempiam agentem. hoc uero & fœminini generis est, cum illud masculini, & genitiui sit casus. nam ἡ ἐλάτη τῆς ἐλάτης, estque arboris nomen. Spiritum quoque eundem habeat oportet. si enim diuersus sit spiritus, non erit æquiuocum, ut in uerbo ὁ ὀς. id enim qualis significat. sed & solus significat, ac cum quali in indicat, aspirationem habet, cum solum, tenuatur. Eadem quoque opus est terminatione, id quod perspicuum arbitror. ἐλάτης enim & ἐλάτη terminatione differenti i, non sunt æquiuoca. Quærunt uero nonnulli cur non æquiuocum, sed æquiuoca dixerit. quoniam æquiuocum inquam non est unum. non enim ipsum sibipsi quidquam esse æquiuocum dicitur, uerum plura. nam aliud alij æquiuocum est. quoniam ergo unum est nomen, res autem multas declarat, iccirco pluraliter dictum est. Sed rursus addubitant, cur græce scriptum sit ὁμώνυμα λέγεται, id est æquiuoca dicitur, non λέγονται, hoc est dicuntur: quoniam æquiuoca inquam & si multa sunt, quatenus tamen æquiuoca, sunt unum. unum enim est quod de multis prædicatur nomen. propterea, dicitur, singulariter protulit, plurale est enim, dicuntur. Alia ratio. Græcis mos est in neutris nominibus si tertiæ personæ uerbis iungantur singularem numerum pro plurali usurpare, ut τρέχει τὰ παιδία, id est currit pueri. ἔσφαλται τὰ βιβλία, hoc est libri depranatus est. & οὐκ ἔβλαστησε τὰ δένδρεα, non germinauit arbores. causam produnt grammatici, sic plurali quoque hic recto, qui est, æquiuoca, singulare illatum est uerbum quod est, dicitur. Neque uero nos prætereat tria hæc esse inter se differentia, æquiuoca, æquiuocatio, æquiuoce. Sunt æquiuoca, res ipse. æquiuocatio, respectus is secundum quem nomine communicarunt. æquiuoce, ipsa quæ de rebus est prædicatio. Illud quoque intelligendum, statim declaratam ex procemijs libri intentionem. ait enim æquiuoca dicuntur. nam per uerbum æquiuoca, res: per dicuntur, uoces significat. res autem a nobis per medios considerantur conceptus. Aquiuocorum autem præceptionem per æquiuocas uoces confecit. nam id ipsum quoq; æquiuocum, æquiuocum est: cum pluribus modis dicatur. Sunt enim æquiuoca quædam a fortuna, nonnulla a consilio. A fortuna, ut cum in locis quidam diuersis idem nomen habentes fuerint, ut Alexander Paris, & Alexander Macedo. A consilio, ut sicui libeat seruos quouis nomine appellare. Horum quæ a præelectione consilioque proficiscuntur, Aliqua a memoria fiunt, uti cum quis filium suum maiorum nomine uocauerit. Alia a spe, uelut ubi filium suum Philosophum fore quisquam expectans Platonem nominauerit. Ac sæpenumero uju uenit, ut quod factum a memoria est, in dito a spe nomini concurrat: utique cum

cōpertus auus fuerit tale studij genus tractasse. Alia ab analogia, seu proportione, cū ab alicuius rei proportione quidquam nūcupabimus, ut pedem lecti, ac montis uerticem. quam enim pes ad hominem, eā quoq; pes lecti ad lectum rationem obtinet. Sunt etiam quæ ab uno dicātur, uerbi causa cum orsi ab aliquo, illius appellatione quæcunq; ab eo deducuntur uocabimus, ut medicum uolumen, medicum pharmacum. Sunt et quæ ad unum, sicuti quando ad finem quempiam futurum respicientes, ad illum, ea nominabimus, ut salubris exercitatio, ac potio salubris. Cæterum differunt hæc ab ijs quæ ab uno denominantur, quod ab aliquo principio dicantur illa, hæc ad finem aliquem spectent. Quæ autem ab uno prouenium, partim ut ab exemplari causa appellantur, ut homo in tabula depictus ab aliquo uero homine: partim ab efficiente, ut medicli scalpellum. Porrò quærendum hoc loco est, quonam æquiuocorum significatu de æquiuocis doceat Aristoteles. Itaq; eo dicimus qui ab uno est. nominatus. n. pictus à uero est homine. Quidā autem cur æquiuoco à proportione usus non sit, indagarunt, id quod esse melius uidetur, & inquā, quoniam quod in proportione est, id in quatuor minimū spectatur. Dicimus. n. si forte contingat, duo ad octo proportionem habere, ut decem ad quadraginta. quadruplam enim rationem utraq; obtinent. æquiuoca autem uel in duobus. iure igitur de æquiuocis secundum proportionem non disputat. Sunt uero qui dicant multiuocorum mentionem non ideo factam, quod eadem nomine æquiuoca inueniantur, definitione differant: contra multiuoca. proinde Philosophum quasi de rebus disserentem nomina neglexisse, quippe cum ea scrutari grammaticos deceat. Aliter quoq;. de solis agit his in præsentia, id quod iam dixi, quæ ipsi ad prædicamentorum doctrinam sunt utilia {Dicuntur} Subaudiendum est res: ut ita fit, æquiuocæ res dicuntur, quarum nomen solum commune. At cum dici ea inquit, apud ueteres quoq; circunferri nomen indicat, neque suam eiusmodi esse nominis impositionem. etenim Plato quoque eorum meminit. & Poeta de Aiacibus dicens, æquali nomine dicti. Vbi autem nomen ipse imposuerit, ait, uoco, uel, sit: ut in resolutorijs, Terminum autem uoco. & in libro de Interpretatione, sitq; hoc contradictio. {Quorum solum nomen commune} Nunquid igitur nō est in uerbis æquiuocatio? atqui est. dicimus enim fero, significatq; hoc & porto, & dico. Quonam pacto ergo æquiuoca esse ea inquit, quæ solum nomen commune obtinent? Respondebimus ad hoc, dici dupliciter nomen: alterū ad uerbi distinctionem: alterum communiter de omni dictione appellatum, quo intellectu uox omnis significatiua nomen uocatur: ut in libro de Interpretatione, ipsa igitur, inquit, quæ per se dicuntur uerba, nomina sunt, atq; aliquid significant. Hic ergo nomen dicit, non quod aduersus uerbum distinguitur, sed quod de uoce omni significatiua prædicatur cōmuniter. Quamobrem fero, quod tum porto, tum dico significat, æquiuocum est. habet enim fero nomen commune, finitionē diuersam. Ergo & in uerbis æquiuocatio est {Solum commune} Bifariam dicitur solum: uel unicum, ut cum solum dicimus solem, aut solā lunam: uel quod ediuerso à coniugato distinguitur, uti cum dicimus relictum in prælio hastam solum habentem: tametsi nihil prohibet quo minus & calceos habeat, & uestem: sed ad scuti, uel armorum aliorum differentiam. & in prandio panem habebant solum: quanquam nil uetat & uestem habere: sed ad obsoniorum distinctionem. hic ergo ut ad coniugatum, uerbum solum, reddidit, finitionem inquam.



Quod factum est a memoria, sæpe nomini a spe indito concurrit, ut ubi quis filium sperans auo similem fore, aut nomen ipsi imposuerit, tum memoriæ causa, tum quod talem ipsum speret futurum.

{Secundum

{Secundum nomen autem ratio substantiæ diuersa} Cum ea exposuerit quæ insunt æquiuocis, nunc quæ eis non competunt apponit: ut non ea solum ex communitate ualeamus; sed ex differentia quoq; dignoscere. Cæterum quærendum est, cur non quorum nomen solum commune dixerit, ratio uero substantiæ diuersa, sed, secundum nomen autem ratio substantiæ diuersa. Dicimus posse æquiuoca alio etiam alioq; respectu esse uniuoca, quippe Aiaces in quo sunt homines, uniuoci sunt: siquidem hominis nomen finitionemq; ambo sibi uendicant. nam ipsorum uterq; animal est rationale mortale: qua uero Aiaces, æquiuoci. ne ergo finitionem quamlibet, sed nomini in quo conueniunt consentaneam capiamus, recte, secundum nomen autem ratio, dixit. Aiaces enim ipsum hoc nomen commune habent, rationem uero secundum id ipsum non etiam eandem, uerum alter ex Salamine, Telamonis filius, cum Hectore singulari certamine congressus: alter Oilei, ex Locride, pedes celer, Sagittarius {Secundum nomen autem ratio} Cur non, secundum nomen autem finitio, sed ratio dixit? Quoniam non in rebus (aiunt) omnibus suppetit nobis finitionum facultas: sed interdum descriptione utimur, ubi per finitionem res expromere non licet. Ergo generalissimorum generum assignari finitio minime potest, siquidem constat finitio omnis ex genere, & constitutiuis differentijs, genus autem quod hæc superet nequaquam reperiatur, ut ex eo ac differentijs, ipsorum finitionem reddamus: quapropter necesse est ea, tametsi descriptione, explicare. propterea igitur non dixit secundum nomen autem finitio, quoniam quæ per descriptionem designantur omisisset. hanc enim usurpare in omnibus licet. quam ex ijs quæ rebus per accidens insunt accipimus. illud tamen affirmauerim, superuacuum esse in quibus exponi res finitionibus ualent, eas descriptione declarare. Ac quamobrem igitur non dixit, secundum nomen autem definitio, uel descriptio? quoniam inquam breuitatis amator id quod de ijs communiter prædicatur, quod est ratio, protulit. ratio enim tum finitio, tum descriptio substantiæ dicitur. Vtrum ergo non est & in accidentibus æquiuocatio? atqui hoc uidemus. Prædicatur nanq; acutum de sapore et uoce. dicimus enim acutum saporē, & uocem acutam, & acutam molem. non secus graue quoq; de uoce prædicatur, & mole, & animi more, ut cum grauis homo dicimus. quomodo ergo substantiæ dixit? quoniam duplex inquam Aristoteles significatū nouit substantiæ. unum quod ab accidētibus ex opposito distinguitur, ac per se subsistit, illis esse in alio habentibus, in substantia inquam: alterum penes quod omnem simpliciter essentiam substantiam uocat: in quo significatu usus est substantiæ nomine, accidentibus quoq; assumptis. Quid igitur tandem omnino adiecit substantiæ, nec dixit, secundum nomen autem ratio diuersa? Respondemus ne quis finitione uocis deprompta dicat æquiuoca esse uniuoca (licet enim huius uocis Aiax finitionem, uel descriptionem assignare, si dicamus, Aiax est uox b. syllaba. tenuis, masculini generis. atq; hactenus uniuoci erunt Aiaces) ob id subtiliter addidit secundum nomen autem substantiæ, hoc est eius quæ a nomine indicatur. Quidā etiam sciscitantur, num quandoq; & æquiuoca sint uniuoca. communicant enim inter se tum nomine æquiuoci, tum finitione. nam prædicatur de Aiacibus & æquiuocum ipsum. neq; id solum, sed finitio quoq; æquiuoci. quippe uterq; eorum habere cū altero nomen cōmune perhibetur, rationem uero substantiæ competentem nomini diuersam. Sic igitur ostensum est & æquiuoca esse uniuoca. Quid ergo dicemus? primum, haud quaquam ab re esse si secundum aliud atq; aliud eadem æquiuoca sint & uniuoca: & uero magis necesse. Aiaces enim qua homines, uniuoci sunt: qua Aiaces, æquiuoci. sic & hoc loco quatenus Aiaces, æquiuoci. cum enim solam hanc uocem quæ est Aiax communem habeant, finitione ei congrua differunt. quatenus autem æquiuoci, uniuoci sunt. cum non æquiuoci appellatione solum, sed finitione quoq; ei addicta conueniant. Alia solutio. Non possunt hæc uniuoca nuncupari: quandoquidem uniuocorum tum communiter nomen ac finitio, tum peculiariter de quouis per se atque in nullo respectu prædicatur: ut animal, & communiter de subiectis ei dicitur omnibus, & de quolibet priuatim. fertur enim Socrates esse animal, equus animal. sed & definitio, substantia animata sensu prædita, quæ finitio est animalis, prædicatur & de omnibus communiter particularibus animantibus, & seorsum de singulis. etenim Socrates, substantia animata sensus compos. & equus similiter. in æquiuocis autem non ita: non enim potest de quoque sigillatim citraque respectum nec nomen nec finitio prædicari. nam æquiuocus per se Aiax non dicitur. sed neque solum nomen habet commune, secundum nomen autem diuersam substantiæ rationem, uerum æquiuocus alij dicitur. minimumque de rebus duabus æquiuoci prædicabitur appellatio, quoniam & ex eorum numero est quæ in respectu habentur. Secari uero æquiuocum potest non secundum diuisionem solum superius traditam, sed & magis uarie, nimirum quo subiectum est modo.



G Qualem igitur hoc loco Aristoteles æquiuoci significationem assumit? nempe formam similem. quidam eam putant, quæ est ab uno. est enim ab homine ut a causa imago. utrunque autem uerum est {Vt animal, & homo, & id quod est pictum} Horum enim communis nominatio est. nam utrunque animal dices, non est autem finitio eadem. quandoquidem si alterum definitas, dices substantiam animatam sentientem. alterum, simulacrum substantiæ animatæ sentientis. {Siquis enim assignet quid eorum sit utrique esse animali, propriam utriusque
H rationem assignabit} Cum hæc tria sint, materia, & forma, & compositum, finitiones rerum quandoque a materia conficimus, nonnunquam a forma, interdum a compositio. atque ex materia quidem, iram esse dicimus, sanguinis cor ambientis feruorem. hic enim materia est iræ. a forma autem, appetitum dicimus ulciscendi. a composito, sanguinis feruorem cor ambientis ob ulciscendi appetitum. Cæterum quæ proprie habetur finitio, a forma desumitur, nam societatis auctor est rebus materia, forma autem differentiæ. nos uero finitionibus res a se discernere mutuo uolumus. Quamobrem cum hic etiam a forma ipsarum finitionem promere Aristoteles uelit, non quid sit eorum utrunque esse animal dixit. hoc enim compositum significat, nimirum materiam ac formam. sed quid eorum sit utrique esse animali, hoc est quid in utroque eorum sit in quo sunt animalia, ut finitionem ex forma declararet. Huius enim ratione sunt animalia. qui autem quatenus horum utrunque animal dicatur exposuerit, propriam utriusque assignabit rationem, ut supra diximus. K L



DE VNIVOCIS.

Tex.2. *VNIVOCA uero dicuntur, quorum & nomen commune est, & secundum nomen eadem substantiæ ratio, ut animal, & homo atque bos. communi enim nomine horum utrunque animal nuncupatur, & est ratio substantiæ eadem. Siquis enim assignet utriusque rationem, quid utrunque est, quo animal est, eandem assignabit rationem.*

Vniuoca autem ea dicuntur, quorum & nomen commune est, & ratio substantiæ nomini conueniens eadem, ut animal, & homo & bos, &c.} Absoluto de æquiuocis sermone, deinceps de uniuocis disputat. Patet autem & uniuocorū præceptio ex æquiuocis, eadem enim dicenda quæ & in æquiuocis recensuimus. nempe quod non in omnibus tantū uniuocatio, sed in uerbis quoq; consistat. quod item sit, uel in accidentibus uniuocatio. nam uerbum alterare uniuocum est. alterare enim dicitur, & qui dealbat, & qui denigrat. eandem uero & finitionem admittunt. nam ipsum alterans definientes, id esse dicimus quod in aliud mutandi qua aliud est in seipso principium obtinet. Hoc & in dealbante dicere, & in denigrante conueniet. siquidem quoduis alterans, eorum in seipso principium habet quæ alterantur mutandorum, estq; aliud ab ijs quæ alterantur. nam nisi aliud esset, ne alteraret quidem. iccirco, qua aliud, additum est. Porro exemplo eodem animalis data opera utitur, ut idem posse alia atq; alia ratione & æquiuocum & uniuocum esse uideatur. in homine enim uero & picto æquiuocum animal est, in homine autem & boue, uniuocum.

DE DENOMINATIVIS. M

Tex.3. *DENOMINATIVA uero dicuntur quæcunq; ab aliquo, differentia casu, secundum nomen habent appellationem. ut a grammatica grammaticus, & a fortitudine fortis.*

Denominatiua uero dicuntur quæcunque ab aliquo, differentia casu, secundum nomen appellationem habent.} Postquam de æquiuocis præcepit atque Vniuocis, de Denominatiuis merito disserit. siquidem hæc difficiliorem minusq; extricabilem habent complexum. cum enim solo nomine iocentur æquiuoca, finitione uero dissideant: rursus uniuoca, & nomine, & finitione communicent, hæc nec semel conueniunt nomine, nec plane dissentiunt. similiter & finitione partim communicant, partim differunt. Enimuero hæc sub quatuor coniugationum, quas enumerauimus, complexum haud quaquam rediguntur: æquiuorum inquam, & multiuocorum, & uniuocarum, & diuersiuocorum. nam illa cum uel in nominis ac finitionis societate, uel utriusque differentia, uel unius communitate,

A communitate, alterius differētia propriam notam sortiantur, hæc nec in utroque omnino conspirant, nec penitus discrepant. sed nec in altero exacte conueniunt, in altero dissident. uerum in utroque aliquatenus congruunt, quadantenus diuariant. Quidam statuenda ea censent inter æquiuoca & uniuoca, siquidem cum nomine solo concordent æquiuoca, finitione discordent: uniuoca autem utroque consoctentur, hæc nec nomine simpliciter nec finitione consentiunt. uerum ijs commodius inter uniuoca & diuersiuoca locum dabimus. cum enim in utroque concurrant uniuoca, diuersiuoca in utroq; uarient, hæc modo quodā in medio sunt, atq; in utroq; partim communicant, partim diuersa sunt. Porro in Denominatiuis quatuor hæc adsint necesse est, cōmunitas rei, differentia rei, communitas nominis, circa finalem syllabam differentia. si enim horum unū aliquod desit, denominatiuum non erit amplius. Sit communitas circa nomen ac differentia, sit circa rem quoque communitas, differentia ne sit, denominatiuum non esse aio. ut in πλάτανος & πλατάνιστος, id est platanus, & παρθένος & παρθενικὴ, hoc est uirgo. res enim ab ambobus indicatur eadē. estque παρθενικὴ, & πλάτανιστος poeticum, πλάτανος autem & παρθένος prosæ orationis. Rursus cætera omnia ordine sint, ne sit circa rem communitas, pariter quoque Denominatiua non erunt, ut in Helena & Heleno. Sint iterum deinceps omnia, absit finalis differentia syllabæ, ut in musica & musica muliere. nam hæc sunt æquiuoca, non Denominatiua. Rursus alia sint, ne sit aliqua in nomine cōmunitas, nec erunt Denominatiua, ut in uirtute & studioso. neque enim a uirtute dicitur uirtuosus, siue ut græci dicunt enaretos. propterea quod huius ueteres ne in uestigio quidem soni meminerunt. sed contra, nomen inauspicatum norunt poetæ. Quisnam alius te, sit iunior quanquam ille, iuuabit Inarete. hoc est compos in malam partem uirtutis. Sed neque a studio deducitur studiosus, quod similiter de uitio ac uirtute dicitur. studiosus autem solus est uirtute præditus. quamobrem studiosus, quod ad uocem attinet, a studio deriuatum est: quod uero ad significatum, non item, sed a uirtute est detortum. Per id autem quod dixit {Secundum nomen appellationem habent} cōmunitatem declarauit nominis. uel hoc modo. Cum quandam ea cum illo, quod dixit ab aliquo societatem habere pronunciauerit, penes rem cōmunicationem ac diuersitatem aperuit. nam si ab aliquo, constat quandam ea cum illo, quatenus ab eo prodeunt, societatem obtinere. quod si omnino ab aliquo, ea quoque differre compertum est. nam nisi differrent, minime ab aliquo dicerentur. Cum dixit differentia casu, finalis syllabæ transfigurationem indicauit. Docet autem de Denominatiuis Aristoteles, quod ea quoque ad doctrinam de Prædicamentis usum afferant.

DE IIS QVAE DICVNTVR.

FORVM Quæ dicuntur alia quidem secundum complexionem dicuntur, alia uero sine complexione. Ea igitur quæ secundum complexionem dicuntur, sunt ut, homo currit, homo uincit. Ea uero quæ sine complexione dicuntur, sunt ut, homo, bos, currit, uincit.

Eorum quæ dicuntur alia per complexionem dicuntur, alia sine complexione.} Hinc ad doctrinam de Prædicamentis ingreditur. Verum quoniam Prædicamenti nomen, & de rebus, & de Conceptibus, & de Vocibus intelligitur (nam Prædicamentum, & res ipsa, & Conceptus de re, & ipsa uox dicitur) uocis prius diuisionem tradit. Quod si de Vocibus hoc loco disputat, & Vocibus nō significatione carentibus, paulopost autem de rebus, cum ait, Entium alia de subiecto dicuntur, de Conceptibus quoque qui in medio sunt sermonem haberi perspectum est. quare uel ex ipsis auctoris dictis perspicua est libri intentio. Diuidit autem uoces in simplices atq; compositas, quæ compositum quicquam substantiæ, uel actioni, uel passioni significant, ut Socrates currit, hoc enim compositum est. & Socrates, uel bos, hæc enim simplicia. Porro non simplex uox omnis rem simplicem notat, nec composita duplicem. Composita uox est Arcuspagus, idest Martiusucus. & Coruipetra, & Neapolis, hoc est Nouaciuitas, sed quod ab ijs significatur est simplex. Vox autem simplex, ut currit, curris, omniaque primæ ac secundæ personæ uerba, ac quæ tertiæ de certa persona feruntur, ut tonat, fulgurat, pluit, Iuppiter enim uidelicet. nam hæc omnia pronunciatione simplicia, significato compesita sunt. significant enim substantiam quandam actioni complexam. Enimuero aiunt in tertijs personis non admodum apparere substantiam, ob uerbi infinitudinē. proinde ea sola accepimus quæ præfinitam certamq; personam indicarent. uerum tametsi nen definitam substantiam tertiæ personæ uerborum designent, significant tamen prorsus aliquam agentem, uel patientem substantiam. Quapropter indicatiuorum tertiæ uerborum personæ uoce omnino simplices sunt, significatu compositæ. nam siquis dicat currit, uel uincit, nimirum de aliquo prædicat id quod est uincere aut currere. Prorsus ergo & in tertijs personis, quamuis indefinite substantia dilucet. at Aristoteles tamen eiusmodi personas assumpsit ueluti simplices, quoniam non distincte in ijs apparet substantia. Proprie autem simplicia fuerint uerba quæ uel actionē solam, uel passionem declarant citra id quod agit, aut patitur, ut uerberare, uerberari. Ergo nec uocū cōpositione, aut simplicitate res simplices, aut compositas oportet, sed ex ipsis significatis æstimemus. Quin & uoces ipsæ tametsi cōpositæ sunt, si rem simplicem ostendant, simplices appellandæ. non secus & simplices compositæ si compositam declarent. si enim de solis agerenus uocibus, ac syllabarum quantitate, compositionem iuxta quantitatem iure definiremus, quomodo & grammatici faciunt. at si ceu de significantibus disserimus, opus est uoces ad significatum iudicare. Eques enim non simplex quidquam designat. equum enim significat, insidentemque hominem, atque equitandi artem. non simplex ergo uox appellanda, sed composita, uti Neapolis quoque. quoniam unum quid non compositum, uerum simplex declarat. Porro uerbum {Dicuntur} in rebus, & conceptibus, & uocibus quadrat. nam & res dici perhibentur, sed quasi significentur. & conceptus dici, sed quasi enuncientur. uoces quoque dici aiunt, sed quasi proferantur. Quam ob causam igitur per complexionem dicta præponit complexione carentibus? Dicimusq; humanæ naturæ ex uoto esse ab imperfectioribus atque compositis ad simpliciora perfectioraque progredi. nam composita familiaria nobis notioraq; sunt. sicergo & puer orationem nectere, ac dicere, Socrates ambulat, nouit: cæterum resoluere eam in nomen & uerbum, atque hæc in syllabas, tum illas in elementa nō etiam nouit. sic ergo nos quoque ambulantem intuentes hominem, prius totum hoc, hominem ambulantem cognouimus, ipsumq; ita in substantiam atque actionem resoluimus. Ac quomodo ergo incipere a simpliciorib us oportere superius pronunciabamus, quasi futurum non sit, ut simplicibus nō præcognitis cognoscantur cōposita: proinde opus

G esse, ut simplicium uocum præceptio doctrinam antecedat syllogismorum? Dicimus igitur in quibus æque simplicia compositaque ignorantur in ijs incipere a simplicioribus oportere. illic enim syllogismus similiter ac simplices ignorabantur uoces. hic ea notiora quæ compositiora sunt. icc irco sumendum a simplicioribus docendi initium. Quamobrem illic propter docendi modum, a simplicioribus, hic a compositioribus, ob modũ cognitionis exordiendum esse dicebamus. Est & alia causa cur hic anteposita simplicibus, composita sint. Quoniam enim futurum est, ut complexione carentia diuidat, hæc ob id posterius cõmemorauit, ut de ipsis protinus doceat. est autem tum hæc diuisurus cũ dicet. Eorum quæ citra cõplexionem dicuntur. Porro statuit in his de industria duo nomina duoq; deinceps uerba, ne quis post error sequatur.

DE IIS QVAE SVNT.

Tex.5.

EORVM *quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, ut in subiecto uero nullo sunt: ut homo de subiecto quidem*

H *dicitur quodam homine, in subiecto uero nullo est. Alia autem in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur. In subiecto uero esse dico, quod cũ in aliquo sit non sicut quædam pars, impossibile est esse sine eo in quo est: ut quædam grammatica in subiecto quidem est in anima, de subiecto uero nullo dicitur. & hoc album in subiecto quidem est corpore. omnis enim color in corpore est, de subiecto autem nullo dicitur. Alia uero de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt. ut scientia in subiecto quidem est in anima, de subiecto uero dicitur, ut de grammatica. Alia uero neq; in subiecto sunt, neq; de subiecto aliquo dicuntur. ut quidam homo, & quidã equus. Nihil enim talium, neq; in subiecto est, neq; de subiecto aliquo dicitur. Simpliciter autem quæ sunt indiuidua,*

I *& unum numero, de subiecto nullo dicuntur. in subiecto autem nihil aliqua prohibet esse, quædam enim grãmatica in subiecto est, at de subiecto nullo dicitur.*

Eorum quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, in subiecto autem nullo sunt, ut homo de subiecto quidem dicitur aliquo homine, in subiecto autem est nullo } Diuisionem rerum in decem nobis traditurus, harum prius consumptionem in quatuor exponit. tradita enim in duo prius uocũ partitione, iure ad quaternariam hanc sectionem pergit. nam numerus duo in seipsum multiplicatus quatuor facit. post hanc uero, eam quæ in decem fit distributionem docebit. ab unitate enim incipiens numerus, si ad quatuor usque componatur, decem conficit, unum, duo, tria, quatuor, & decem fiunt. Aliter quoque. Complexam hic rerum diuisionem facit. copulat enim uniuersale substantiæ atque accidenti: similiter ijsdem & particulare. illic articulatim ac simplissimam hanc facit sectionem, nullum ulli coniungens, uerum quodlibet uti naturam obtinet docens, peculiariter de substantia, peculiariter nec communiter de ijs quæ unicuiq; accidunt. Cum igitur pro intentionibus diuersis fiat entium diuisio, merito & diuisionis segmenta diuersa extitere. Est ergo id genus proposita diuisio entium. K

Entium inquit nonnulla substantia sunt, nonnulla accidentia. Rursus sunt quædam entium uniuersalia, quædam particularia.

Substantia. Vniuersale. Accidens.



L

Cum quatuor hæc itaq; sint entium segmenta, binaq; comprehendantur, sex coniugationes ex horum fiunt complexu: duæ inconsistentes, quæ iungunt contraria, consistentes quatuor reliquæ. nam entia partim uniuersales substantiæ, partim uniuersalia sunt accidentia. & quædã particulares substantiæ, particularia quædam accidentia sunt, prout habet subiectæ tabellæ descriptio.

Verum si uocibus ijs quibus nos, usus fuisset Aristoteles, atque uniuersalem substantiam, uniuersale accidens, particularem substantiam, particulare accidens nominasset, utiq; nobis non facesseretur negotium: quasi perspicuum id esset quod traditur. at is ob quam diximus causam obscuritati studens, alia usurpauit nomina, eorum quæ significantur naturæ accommodatiora quidem, cæterum a multitudinis usa remota, ac proinde obscuriora. Accidens igitur, in subiecto uocat: substantiam, non in subiecto: uniuersale, de subiecto: particulare, nõ de subiecto: constatq; quamobrem accidens in subiecto nominet. id enim per se subsistere non ualet: sed aliud, hoc est substantiam, ut existat requirit. substantiam autem, non in subiecto appellat. neq; enim alio eget ut esse incipiat. uniuersale, de subiecto: quoniam particularia non ad subsistentiam postulat, uerum ad prædicationem. nam nisi sint particularia, uniuersale de quo prædicetur non habet. particulare, non de subiecto: quandoquidẽ particularia de nullo alio prædicantur. M Quamobrem uero non subiectũ, sed non in subiecto uocauit substantiam, si ad subsistentiam subiacet accidentibus? Ad hoc itaq; dicemus primum, substantiam non omnem subiectum esse. nam diuina substantia subiectum nequaquam est, cum in ipsa nihil accidat. ergo subiectum non uocabitur. quapropter si substantiam communiter uocasset subiectum, diuinam substantiam non simul comprehendisset. Secundum, quæ per quam potissima ratio est, quoniam cum in opposita diuisiones fiant, quædam uitabiles sunt, quædam ineuitabiles. sunt uitabiles quæ in contraria, ineuitabiles quæ per contradictionem fiunt. Cum enim alia medio prædita contraria sint, alia careant, diuisionem quæ in contraria obitur ineuitabilem non esse in medio præditis necesse est. sunt porro cõtraria medio prædita, ut album & nigrũ, sanitas & morbus. sunt enim inter album ac nigrum colores, fuscus, ruber, ac cæteri omnes. inter sanitatem & morbum, quod medici neutrum appellant. conualescentias enim ex morbo neq; sanitates esse aiunt, cum sanorum actionibus non perfungantur

Quæstio. Acrius inspice. nã potuisset absq; ulla reprehẽsione hoc in loco Aristo. uocare substantiam id qd' est subiectũ. nam ut ex Ammonio infra 34. A. patet hic Aristo. nõ agere nisi de substãtia composita. at substãtia composita quæq; subiectum est.

A fungantur qui conualescunt, neq; morbos, siquidem a causa ægrifica absoluti sunt ij qui sanitati restituuntur. ergo inter sanitatem & morbum medium quoddam est conualescentia. Medio carent par & impar, si hæc ut contraria sunt plane opposita. nam nos alibi ostendimus non esse contraria. Rursus rationale & brutum opposita sunt sine medio, cum contraria nec ipsa sint. quare sunt proprie contraria quæcunq; obtinent medium. Siquis igitur entia in contraria diuidat, atq; entium alia alba esse dicat, alia nigra, colores cum medij omnes fugiant necesse est. neq; uero solum ij, sed etiam substantiæ quæ colores non admittunt, ut aer, angelus, anima. Verum nec cæteræ species oppositorum diuisiones ineuitabile habent, ijs duntaxat exceptis quæ per contradictionẽ fiunt: uerbi causa siquis dicat entia tum dextra esse, tum sinistra: uel partim dominos, partim seruos. alia patres, alia filios. sunt enim quæ ex ijs nullum existant. Verumenimuero nec si per priuationẽ & habitum fiat diuisio: ut si quisquam entium dicat alia cæca esse, alia cernentia: & quædam docta, quædam indocta. habitus enim & priuatio in solis capacibus dicitur. quod autem habitum indipisci natura aptum non est, neq; priuatum eo esse perhibetur. quocirca non omnia quæ sunt, habitus & priuatio diuidit: nisi in quibusdam cum contradictione tantumdem ualeat, ut habet cor

B pus & incorporeum. nihil enim inter hæc medium est. siquidem incorporeum idem cum negatione potest quæ est non corpus. Ergo diuisio ea duntaxat quæ per contradictionem fit, ut siquis inquiat, eorum quæ sunt alia esse alba, alia non alba, entia omnia comprehendit. nam & fuscum non album, flauum quoq; & rubrum similiter. sed & anima non alba, & angelus non albus. neq; enim colori suscipiendo aptitudinem naturæ obtinent. Porro & Plato uiam rationemq; diuidendi, quæ per contradictionem efficitur, effert laudibus. eam enim effugere nihil inquit quod sit gloriabitur. Proinde igitur cum & Aristoteles accidens in subiecto appellauerit, per huius negationem indicauit substantiam, quam non in subiecto nominauit, ut omnem substantiam assumeret. Ad hæc duplex esse subiectum dicemus, alterum ad subsistentiam, alterum ad prædicationem. ad subsistentiam quidem substantia. nam hæc accidentibus, ut existant subiecta est. particularia uero ad prædicationem. uniuersalibus enim subiacent hæc, non quo existant illa (neq; enim uniuersalia, ut subsistant egẽt particularibus) sed ut habeant de quibus prædicentur. cõtra uero uniuersalibus particularia non ad prædicationem, sed ad existendi inchoationem. non esset enim

C Socrates & Plato nisi esset homo simpliciter. eorum autem quæ ad prædicationem subiacent, alterũ substantia, alterũ accidens est. subdita enim est particularis substantia uniuersali ad prædicationem, ut dictum est: exẽpli gratia, Socrates ei qui simpliciter homo est, & simpliciter animal. particulare accidens uniuersali, ut inhærens huic lapidi album, simpliciter albo, ac colori. dicimus enim lapidem hunc esse albũ, et simpliciter albũ, colorem esse. Quoniã igitur utrunq; eodẽ modo subiectũ nuncupatur, si entiũ alia in subiecto, alia subiecta esse dixisset, utiq; esset et particularia accidẽtia cõplexus, quæ & ipsa subiecta sunt, tametsi nõ ad subsistentiã sed ad prædicationem. Vult autem per hæc uerba, non in subiecto, subiectam substantiam dicere, quæ ipsius esse initium suppeditat, eamq; ab accidentibus e diuerso distinguere. Harum porro diuisionum altera est a subsistentiæ, altera a prædicationis modo. illa, Entium inquit alia in subiecto esse, alia non in subiecto. hæc dicit Entium aliqua de subiecto, aliqua non de subiecto dicuntur. quædam enim prædicari, quædam ad prædicationem subijci ait. atque Aristotelis diligentiam contemplare, quomodo in subsistendi modum significante est dixerit, uerbum autem, dicitur, pro eo D quod est prædicatur, in ea quæ prædicationis modum indicat usurpauerit { In subiecto autem nullo est } Pro nõ in alio inest. Ex quatuor autem coniugationibus uniuersalem substantiam ueluti digniorem præponit: ac quoniam particularium scientes per uniuersalia reddimur. in particularibus enim a brutis nihil differimus animantibus. nobis uero eorum nonnulla acrioribus præstant sensibus, quibus particularia apprehendimus. dein secundam ponit huic obiacentem: particulare id accidens est. oppositum enim substantiæ est accidens: uniuersali autem particulare. postea uniuersale accidens particulari substantiæ prætulit, quoniam de uniuersalibus est sermo philosophis { In subiecto autem id dico, quod cum in aliquo non ceu pars insit, sine eo in quo est, esse non potest }.

Quoniam uocibus quibusdam nobis ex consuetudine ignotis usum sese Philosophus sensit: eæ sunt, de subiecto, & non de subiecto, in subiecto, & non in subiecto, uult deinceps nos de ipsis docere. cæterum non omnes exponit, sed duas duntaxat, quæ sunt, in subiecto, & de subiecto. nam ijs cognitis, reliquarũ quoq; significatio constabit. qui enim quid sit in subiecto esse nouit, quid etiam non esse in subiecto cognouerit. et qui de subiecto dici quid sit didicit, is etiam quid non dici de subiecto intellexit. ac prius quid esse in subiecto sit E præcipit. id quod facit finitione. nam finitiones, ut sæpe commemorauimus, naturam nobis exhibent rerum, ut quæ ex genere ac constitutiuis differentijs consistunt. Cum autem ex genere ac constitutiuis differentijs conficetur finitio, hic quod dicit in aliquo assumit Aristoteles quod generi proportione respondeat: reliqua differentijs. Dicitur enim in aliquo modis undecim, uel ut pars in toto, ut manus in toto corpore esse dicitur, & caput. uel ut totum in partibus, ut in capite, manibus, alijsque esse corporis fertur integritas. Porro totum non in parte, sed in partibus dicitur: quandoquidem non in parte una integritas, sed in omnibus consideratur. igitur una parte adempta, totum minutum uult mancumque esse, nec poterit totum uocari. uel ut species in genere, ut hominem esse in animali dicimus. uel ut genus in specie, ut in homine animal. hic uero genus in speciebus dicamus necesse non est, ut totum in partibus dicimus. non est enim a partibus exempta integritas, sed ipsum esse in ijs obtinet. at genus exceptam habet essentiam, estq; in specie qualibet totum. uel ut in tempore, ueluti cum ita loquimur, flagrarunt ea tempestate troiana bella. aut tanquam in loco, uti dicimus in lyceo, uel in foro. aut tanquam in uase, ut uinum in F dolio, siue in modio triticum. Enimuero locus & uas æquali quodammodo conuersione commeant. nam locum uas quod moueri ac transferri nequit, uas autem locum qui mouetur ac circumfertur appellabis. uel ut forma in materia, ut statuæ forma in ære. aut ueluti res subditorum in principe, ut quando res ciuium dicimus in principe positas. uel ut in causa finali, cũ medicum uerbi gratia in medicina dicimus, aut militem in re militari spem collocare. uel tanquam in subiecto, ut accidens in substantia. Aristoteles igitur quod dixit in aliquo, ceu genus accipit prædicatum de pluribus: quæ de hinc sequuntur, differentiarum loco adijcit, ut ab alijs ipsum discernat de quibus dictum in aliquo prædicatur. Atque per uerba hæc, nõ ceu pars insit, ab eo quod tum ut pars in toto inest, tum ut species in genere, ipsum distinguit. nam hæc quoq; uti pars quodammodo esse totius ipsius animalis uidetur, & animal totum esse quidpiam. idq; Porphyrius in introductionibus affirmat, cum tria sint hæc inquiẽs, generalissima genera. specialissimæ species, & subalterna, generalissimum, totum solum modo: specialissimũ, pars est duntaxat: subalternum & totum & pars, uerum pars

alterius: totum, non alterius, sed in alijs. Per id uero quod dixit sine eo in quo est esse non potest, a cæteris seiunxit. Porro nonnulli finitionem, alij ex eo quod redundet, alij quod deficiat, uitiosam asseuerant. Finitionis enim uitium est, ad id quod definitur nequaquam reflecti, sed uel plura, uel pauciora assumere. Qui abundare eam dicunt, non sola accidentia a finitione aiunt, sed corpora quoque comprehendi. Cũ enim (inquiunt) Socrates in loco ac tempore sit, est in aliquo, nec ut pars in toto. non enim loci pars est, aut temporis. nec fieri potest ut sit a loco, uel tempore seiunctus. Itaq; similem dicimus collationem non esse. accidens enim separatum esse ab eo in quo est nequit, sed simul ac separatum est, etiam interijt. at corpora quanuis ab omni loco semota non sint, ab hoc tamen si disiuncta sint loco, sunt nihilominus. nam corpus qua corpus est, loco uel tempore quo ipsum subsistat non indiget, habet tamen hæc consequentia: quemadmodum is qui in luce ambulans umbram habet consectantẽ, qua nihil ad substantiam iuuatur. at accidenti ad ipsam subsistentiam conferunt corpora: quando sine ijs haud quaquam consisteret. Præterea nec corpus omne esse in loco est necesse. Sphæram enim minime uagantem Aristoteles in loco non esse demonstrat, si locus terminus est ambientis quatenus id ambit quod continetur: ut seria locus est uini quod capit, non se ipsa quidem tota, sed interiore superficie, qui eius est terminus. nimirum si foris exculpatur, uinum nihilominus continet, quasi sola interiore superficie sit locus. Ergo si id ut diximus locus est. Aristoteles autem extra sphæram immobilem nihil esse demonstrat, id eius quoque fine claudatur: non locus, non tempus, non corpus, non uacuum, neque aliud quidpiam. non est igitur sphæra immobilis in loco. Quare corpus omne esse in loco non est necesse: uerum sectamen magis corporum uti diximus est locus & tempus. Porro & illud in quæstionem uocant, quomodo & quod uelut totum in partibus est, finitio non comprehendat. nam & in aliquo est. in partibus enim, neque ut pars inest, ipsumque esse absque eo in quo est haud quaquam potest. Dicimus itaque descriptionem quanuis in cæteris communicet, hac tamen in parte, quæ est in aliquo, differre. totum enim in parte esse non dicitur. quippe non in parte totum, sed in quibusdam magis. nam in partibus perhibetur. sic Porphyrius quoque, totum autem dicebat non alterius, sed in alijs. totum enim in partibus. Quod si inter eius significata quod in aliquo dicitur id etiam assumebamus quod uelut totum in partibus est, non quoad tamen est in uno, sed sola ea significatione, quod per se non subsistat, id ipsum quoq; in aliquo esse dicebamus. Illam quoq; præter eas quas recensuimus difficultates in medium afferunt, nempe id etiam quod uelut forma est in materia a finitione comprehendi. formam enim aiunt in aliquo esse, in materia, neque ut eius partem inesse. fieriqueque non posse ut ipsa sine materia existat. Itaque formam etsi materiæ non sit, tamen compositi partem esse affirmamus. sic ergo & manum non corporis totius, sed omnis partem esse arbitramur. Deinde uero formam asserimus cuiusque esse rei substantiæ completiuam: sublataque forma subiectum tolli. at accidens neque substantiam complet subiecti, neque corrupto eo subiectum interijt. Aliter quoq; propositum esse hoc loco Aristoteli dicimus explicare de entibus, nõ quæ ratione sunt entia, sed quæ significantur ab hominum multitudine, neque esse de ijs ex propria ipsius sententia disserũ idque uerũ esse ostendit plane in sermone de substãtia, primam substantiam eam esse inquiens quæ spectatur in indiuiduis: secundam, quæ in speciebus generibusque: cum res contra sese habeant. nam prima est ea quam in speciebus ac generibus cõtemplamur, ut quæ indiuiduis causa est, atque incorporea, semperque secundum eadem atque eodem pacto se habet. quæ autem in indiuiduis cernitur, secunda est, ueluti ut ita dixerim causata. uerum quoniam huius notitiam obtinet hominum multitudo, iccirco ex eorum opinione præceptionem faciens primam ipsam appellauit. Quandoquidem igitur formæ notio ac materiæ uulgo nequaquam constat, sed solum ex ijs cõpositum, idque ut unum, ea propter quanuis dicti in aliquo significata enumerasset Aristoteles, non eius tamen quod ceu forma in materia est meminisset: quasi nõ de entibus quæ entia sunt, sed ut de ijs uulgo placet, sermo habeatur. Sicut enim punctum definiens geometra, id ipsum esse ait cuius pars nulla est: nec punctum solum hæc finitio, sed & unitatem, & ipsum nunc comprehendit (partibus enim nullis horum quodlibet cõstat) nec quisquam culpauerit geometram, utpote finiendo puncto hæc quoque amplectentem. prorsus enim dicet, quanquam unitas ac ipsum nunc partibus non distinguuntur, nulla tamen subiecta mihi res est præter punctum, quæ partibus careat: sic Aristoteles quoque quod ad institutæ ei doctrinæ intentionem attinet, esse in aliquo id quod est ut forma in materia non nouit: siquidem huius notionem non habet bona pars hominum. uult autem uti diximus non de entibus quæ entia sunt uerba facere, sed quatenus ab id genus uocibus secundum uulgi placita significantur. atque hæc aduersus eos qui finitionem iusto ampliorem esse contendunt. Qui autem defectionem in ea accusarunt, non accidentia aiunt omnia, sed inseparabilia duntaxat comprehensa. dixit enim inquiunt absque eo in quo est esse non posse. nam separabilia aiunt non impossibile solum, sed necessarium quoque est separari. Quid igitur respondemus? nimirum probe a nobis dictũ, si separari nequaquam posse pronunciasset. nunc uero dicit sine eo in quo est esse non posse, pro subsistere atque constare. nam separabilia etiam ut subsistant nequit sine subiecta eis substantia fieri. Hærent item nonnulli atque aiunt, quomodo esse absque eo in quo est non posse accidens dixerit. Nam ecce odor est accidens, seiunctusque a subiecto etiam est. pomum enim sæpenumero cum longe a nobis absit, huius ad nos suaueolentia peruenit. quare potest odor mali, cum ipsius accidens sit, absq; mali esse substantia. nec secus in id genus uniuersis. Hoc itaque duplici ratione soluimus: Primum quod non in quo erat, sed in quo est Aristoteles dixit. Non potest igitur odor mali in quo loco est absque eo esse: siquidem, aut in malo est, aut in aere. Deinde quod mali fragrantia non sola, sed cum tenui quadam ipsius mali substantia ad nos redundat. id cõpertum ex illo est quod sæpe fœtidum locum transeuntes sudario circumseptis naribus, aerem quidem respiramus (haud enim hunc respirare non possumus) odoris uero fœditatem non percipimus. quasi substantia illa quæ defluxit, si aeri conferatur, crassioribus partibus cõsistat, nec subire meatus sudarij possit. quippe aer ob tenues sui partes ingreditur. Quod si, sudarium quanuis multo tempore adhæreat, odoris tamẽ grauitas sentitur, nihil est mirum. nam forte & ex sudarij positu id prouenit, cum præter modum dimoueatur, atq; aditum crassiori substantiæ præbeat, quando uel si plurimum motu perturbetur illa, tenuatur magis, penetratque. Nimirum admodum uentilata partes quoque tenuiores adipiscitur. Enimuero emanare cum quadam substantia odorem argumento id maximo est, quod pomum temporis longiore spacio rugosius redditur, perinde quasi eius substantia in qua odoris gratia suberat, per halitũ digeratur. Delarant id quoque exhalantes ex incensis uapores, qui inde ob subiectæ substantiæ crassitudinem sub sensum cadunt. quo etiam fit, ut aerem manibus sæpius mouentes ad nares pellamus, utique cum ex suffitu editus

uapor

uapor crassioribus partibus constat, nec ad sensorium facile peruenit. id quod facto opus non erat, si qualitates ex ijs quæ adolentur in aerem citra corpus prodirent. Illud scitu dignum est, Platonem affirmare pomi fragrantiam ad nos cum quibusdam defluuijs euadere minime a subiecto disiunctam. Aristotelem causam ad aerem referre, ut qui obsequio facilis sit, atq; odores transmittat, siquidem qua ratione uisui ac sono, eadem quoque est odori peruius. nam odoris suauitatem accipiẽs nobis impertit. Plotinum uero mutari partem aeris in odorabilem qualitatẽ arbitrari. nam manens in pomo suaueolentia partem inquit quam sentimus aeris immutat, ac similem aliam sibijpsi qualitatem gignit: ut in igne etiam caliditas non igne relicto frigido ad nos concedit, sed manens in igne, conformem aliam sibijpsi in aere caliditatem creat. Cæterum nulla harum per se ipsam uera est opinio: neq; Platonis illa quæ odorem ad nos cum defluxu fatetur progredi. nam defluxus corpus est: omnis autem corporis secundum naturam est motus. nam aut leue est, & petet superna: aut graue, & ad inferna declinabit. at odorem mali æque omnes sentimus, supra, infra, ante, pone, dextra, sinistra. patetq; ex hoc defluuia duntaxat non satis esse dicere. Neq; sola Aristotelis est uera sententia. commentitium enim est dicere aerem totum qui interiacet odore imbui, ut in uulturibus qui cadauera alijs in urbibus sentiunt inhumata. Sed nec uerum solum Plotini placitum est, aeris partem qualitate inficiac mutari. cœnum namq; altius porci effodiunt, quo maxime delibamentis potiantur. at tres simul ueræ sunt. nam in hebetius olfacientibus cuiusmodi porci sunt, usus quoque exposcitur delibamentorum. in ijs qui sagaciter odorant, quod genus uultures habentur, aer sufficit odoribus permeabilis. in ijs uero qui mediocriter ualẽt olfactu quales nos sumus, satis aeris facit mutatio. Enim uero secundum opinionem ex ijs nullam qualitates a subiecto in subiectum demigrant. nam aut in instanti sunt eodem tum in eo in quo sunt, tum in eo ex quo emanant, ipsaq; a sese qualitas diuelletur: aut in alio atque alio. ac quoniam duorum instantium omnium tempus est medium, citra subiectum illo tempore qualitates erunt. Possumus & hoc obijcere ijs qui substantiam simul quandam migrare cum pomi qualitate arbitrantur: nempe motum quendam unum hoc est in rectum a substantia fieri. nam uel sursum tendit, uel deorsum, uel prorsum, uel retrorsum, uel dextrorsum, uel sinistrorsum. Quandoquidem igitur contingit tum a dextris stantes, tum a sinistris, tum a fronte, tum a tergo sentire odoris iucunditatem, penes motus hos cietur uniuersos. Afferenda igitur hoc pacto solutio est. Aer id genus potestate est cuiusmodi qualitas mali, quod qualitatum omnium accipiendarũ, ut quarum expers ipse est, naturam obtineat. ergo a mali fragrantia talis actu fit, ac propterea qualitates omnes nobis excipiendas transmittit, utpote carens ipse qualitate Porro siquis dixerit quomodo pendentia poma in arbore odorem nobis impertiuntur, nec gracilescentia diminutionem sustinent? quoniam est hic inquam quod influit alitq; eo quod difflatur copiosius. est enim influxus uberior effluxu { Alia uero & de subiecto dicuntur, & sunt in subiecto } Cum particulare accidens declarauerit, quod in subiecto & non de subiecto appellabat, nunc eo uertitur ut uniuersalis nobis accidentis tradat exemplum, quod de subiecto & in subiecto nominat { Alia neque in subiecto sunt, neque de subiecto quopiam dicuntur } Vbique ijs quæ ad uocem pertinent (ea sunt de subiecto & nõ de subiecto) uerbum dicitur assignat: est autem attributi ijs quæ ab ente proficiscuntur, quæ sunt in subiecto & non in subiecto. Cæterum traditis accidentium particularium atque uniuersalium exemplis, nunc particularis exemplum profert substantiæ. Non de subiecto autem est impredicabile, utique prædicatione de subiecto. non enim simpliciter impredicabile. siquidem & particulare prædicatione in subiecto prædicari potest, ut grammatica quædam ad Aristarcho. idque uel ipse pergens docebit uerbis illis, in subiecto autem nihil prohibet esse nonnulla. Quod si indiuidua quoque prædicantur de subiecto, ut homo is qui aduenit, Socrates est, prædicatio est præter naturam, ut quæ particulare de uniuersali prædicat: quomodo & substantia si de accidente prædicetur, cum dicimus, hoc album est Socrates. Prædicantur enim secundum naturam uniuersalia de particularibus, & accidentia de substantijs? particularia uero de uniuersalibus, ut in exemplo quod diximus, & substantiæ de accidentibus, præter naturam, ut album accedens, est Socrates. Non de subiecto igitur est impredicabile prædicatione de subiecto, ea secundum naturam sese habente { Simpliciter autem indiuidua & unum numero de nullo subiecto dicuntur, in subiecto autem nihil prohibet esse nonnulla } Quoniam proxime particularium meminit substantiarum, ut quæ non de subiecto dicuntur, inquiens, alia uero neque in subiecto sunt, neque de quoquam dicuntur subiecto, ut aliquis homo, uel aliquis equus: minime uero solæ particulares substantiæ non de subiecto dicuntur, sed particularia quoque accidentia, ob id uniuersalem hoc loco sermonem conficit atque, Simpliciter autem, hoc est, uniuersali uero quodam sermone indiuidua omnia, quæ & unum numero sunt, siue substantiæ, siue accidentia existant, de nullo dicuntur subiecto. Verbum autem simpliciter tribus dicitur modis: uel uniuersaliter, uelut cum ita loquimur, simpliciter omnis homo, pro in uniuersum: uel nunce, ut simplex ueritatis est uerbum, id est non uarium: uel proprie, ut cum simpliciter uirtus dicimus pro eo quod est proprie uirtus. Tribus modis quoque appellatur unum, atque in summa identitas ac diuersitas. dicimus enim uel genere unum, ut hominem & æquum: uel specie unum, ut Socratem ac Platonem: uel numero, ut Platonem. unum enim quiddam Plato est numero. Sed diuersa quoque similiter, uel genere nuncupamus, ut equum & ficum: uel specie, ut equum & hominem: uel numero, ut Platonem Socratemque. numero igitur unum hoc loco accepit. Cæterum sciendum est, quæ sunt numero diuersa, ea posse unum specie esse ac genere, ut Socrates & Plato: quæ autem diuersa specie sunt, prorsus quidem & numero diuersa, genere autem non prorsus, sed eadem quandoque esse & equum & hominem. at quæ differunt genere, omnino & specie & numero discrepabunt, ut equus ficusque, uel homo & album { In subiecto autem nihil prohibet esse nonnulla } Postquam uniuersalem sermonem confecit, cum dixit nullum ex indiuiduis, quæ & unum numero sunt, de subiecto esse, non solæ autem particulares substantiæ, sed particularia quoque accidentia sunt indiuidua, ueluti quædam, ut ipse inquit, grammatica, hoc subiunxit, in subiecto autem esse nihil prohibet, id est accidens. atque ut semel dicam, quæ unum sunt numero, de nullo subiecto dicuntur, sunt autem in subiecto.

DE PRAEDICANDI RATIONE.

QVANDO *Alterum de altero prædicatur ut de subiecto, quecunque de eo quod prædicatur dicuntur, omnia etiam de subiecto dicentur. Vt homo de homine quodam prædi-*

catur, animal uero de homine ergo & de quodam homine animal prædicabitur. quidam enim homo, & homo est. & animal.

Quando alterum de altero prædicatur ut de subiecto, quæcunque dicuntur de prædicato, de subiecto quoque omnia dicentur} Absoluta de eo disputatione quod est in subiecto esse, nunc ad docendum de subiecto ingreditur: ac modo quodam hoc inquit, aliud esse prædicari de aliquo, aliud ut de subiecto prædicari. huic quod prædicatur, ut de subiecto, id consequens est, quæcunque de prædicato dicuntur ea quoque de huic subiecto nuncupari: ut prædicatur de Socrate, ut de subiecto, simpliciter homo. animal autem de homine simpliciter. hoc ergo & de Socrate prædicabitur. nam simpliciter homo, per medium se ipsum, animalis prædicationem traducit ad Socratem. Sed quid sibi uolunt hæc uerba ut de subiecto? nempe essentialiter, atque re ipsa. siquid enim de prædicato per accidens dicitur, non id quoque de subiecto dici est necesse. uerbi gratia prædicatur re ipsa homo de Agamemnone, atque ut de subiecto de homine animal essentialiter, per accidens uero disyllabum. iccirco de Agamennone prædicatur animal, disyllabum non prædicatur. Rursus animatum ac sentiens de animali, ut de subiecto atque ut de re dicitur, per accidens uero & in respectu, genus, uel trisyllabum. Perinde quoque se habet res in accidentibus. prædicatur enim exempli causa de tribus uti de re numerus, de numero ut de re, quantum per accidens uero trisyllabum. ob id prædicatur numerus de tribus, trisyllabum non item. Vt ea igitur quæ essentialiter & ut de rebus prædicantur indicaret, ut de subiecto dixit. trisyllabum enim de animali non ut de subiecto prædicatur, uerum ut de uoce ac syllabarum quantitate: & genus de respectu. Quæ igitur, inquit, dicuntur de altero ut de subiecto, hoc est ut de re subsistente, quæcunque de prædicato dicuntur (est autem hic quoque ut de subiecto subaudiendum) omnia & de subiecto dicentur. Prædicamenta latitudinem profunditatemque obtinent, profunditatem inquam, progressum eorum in particularia. latitudinem, discessum in latera. uerbi causa ut sic profunditatem capias, substantiam, corpus, animatum, animal, atque ita deinceps. latitudinem, cum substantiam in corpus & incorporeum secueris. Regulam igitur nobis Aristoteles tũ latitudinis, tum profunditatis depromit. nunc profunditatis, dehinc latitudinis. est porro hæc regula. Quando primum de secundo de subiecto prædicatur, & secundum de tertio de subiecto, tunc primum quoque de tertio de subiecto prædicabitur. prædicatur exempli gratia animatum de animali, animal de homine. animatum quoque de animali prædicabitur. Quod autem de subiecto dixit, regulæ recte adiectum est. nam si uera esse debeat, utraq; de subiecto sit oportet propositio. siue enim in subiecto sint ambæ, nihil ueri concluditur. siue una de subiecto, reliqua in subiecto, sitque hæc uel prima, uel secunda, nec ita quoque ueri quidquam colligitur. ambæ igitur in subiecto sumantur, ut Socrates albus, album disyllabum. accidit enim albo disyllabum. si conclusum ita sit, mendacium est id quod conficis. nam Socrates non est disyllabum. Rursus primam in subiecto cape: alteram de subiecto: ut homo album: album, color: falsum comminiscaris. neque enim homo est color. Sumatur iterum prima de subiecto, secunda in subiecto: ut homo animal: animal, trisyllabum: neque hoc modo ueri quidquam congeritur. Habemusque per hoc regulæ uicem conuersam, quomodo sub decem prædicamenta quæcunque sunt omnia queant referri. ut enim regula primum secundo, & secundum tertio inesse monstrabat, sic contra sub prima redigi posteriora ac secunda ostendere eadem potest. ut homo sub animal confertur, animal sub animatum, animatum sub corpus, corpus sub ipsam substantiam. & homo ad substantiam reuocabitur. in prædicamentis quoq; alijs eodem pacto. Sunt uero qui temere dici quærantur, ex quatuor propositis, uniuersali, & particulari, substantia, & accidente, duo sola ab Aristotele describi, eaque deteriora, accidens, & particulare: cum hic & quid sit de subiecto definiat, uniuersale inquam, cum ait, si competit primum secundo, & secundum tertio, tertio quoque primum competere. sed & quid non in subiecto, substantiam inquam, cum propria substantiæ enumerat. nam descriptiones ex proprijs desumuntur. Atque ad hæc dubia respondemus, regulam esse quæ recitata est, non finitionem, aut descriptionem. quippe in nullam descriptionem finitionemue finibile, uel finitionis nomen accersiri. nemo enim homo inquit est homo animal rationale mortale &c. neq; animal est animal substantia animata sensu ualens. nunc uero sæpe in regula id quod finitur, ipsum inquam de subiecto, assumptum est. Ad alteram difficultatem dicimus, ex proprijs quæ nominat substantiæ nullum eiusdem descriptionem esse. nam quæcunq; ipsius recenset propria aut soli substantiæ suppetunt, sed non omni, aut omni, non soli tamen. at descriptio & uere propria soli & omni ac semper competere uolunt. Cæterum cum sit duplex prædicatio, altera de subiecto, altera in subiecto (de subiecto quidem dicimus cum de particularibus prædicantur uniuersalia: in subiecto autem cum accidens de substantia proditur) prædicatio in subiecto, quæ aliud alij inesse dicit, nullam exhibet quæstionem. quæ uero de subiecto est, cum esse alterum ostendere alterum uelit, hoc est prædicatum id quod subiectum est, quæstionem præbet. Dixerit enim quispiam quale prædicatum est animal de homine? num ipsum id quod homini concretum est, ad uniuersale? si concretum, idem de seipso prædicabitur, eritque nugamentum prædicatio. sin uniuersale, particulare uniuersali adæquabitur: idque erit particulare quod uniuersale est. Dicemus itaque prædicatum de subiecto & communius esse, & ipsius proprium uelle. cum enim ita loquimur, homo est animal, nil sane aliud dicimus, quam animalis formam quæ uniuersa sunt insignita animantia homini quoque inesse. ut enim Præconis uox & omnium communis exauditu, & cuiusque propria est: ut centrum & communis omnium rectarum est terminus quæ ab eo excurrunt, & cuiuslibet proprium: ut materia denique & publice uniuersis substrata est, & priuatim singulis, sic prædicatum quoque & commune esse uult, & peculiare subiecti. ergo quæ commune est, non est prædicatio nugamentum: quoad uero proprium, particulare haud uniuersali adæquabitur.

DE GENERIBVS DIVERSIS.

DIVERSORVM *generum, & non subalternatim positorum, diuersæ sunt specie & differentiæ: ut animalis, & scientiæ. animalis enim differentiæ sunt, gressibile, bipes, & uolatile, & aquatilæ. scientiæ uero, nulla earum est. neque enim scientia a scientia differt in eo quod bipes est. subalternorum uero*

generum

generum nihil prohibet easdem esse differentias. superiora enim de ijs quæ sub ipsis sunt generibus prædicantur, quare quotcunque differentiæ prædicati fuerint, totidem, & subiecti erunt.

Diuersorum generum nec subalternatim positorum diuersæ specie & differentiæ} Sumptiunculas quasdam accipit ad propositam institutionem cõmodum ipsi allaturas. Quoniam enim prædicamenta & generalissima genera sunt & in unoquoque series quædam subalternorum edita est generum, regulam hic nobis tradit Philosophus qua genera prorsus diuersa a subalternis discernamus: atque diuersorum generum nec subalternatim positorum differentiæ quoque plane diuersæ tum constitutiuæ tum diuisiuæ, ut animalis ac scientiæ. sunt enim constitutiuæ animalis differentiæ animatum & sentiens: diuisiuæ, rationale & brutum, mortale & immortale scientiæ uero, constitutiuæ, si forte contingat, rationum certitudo ac firmitas, aut scientiæ subiectas res secundum eadem atque eodem pacto perpetuo se habere: diuisiuæ, contemplatiuum & actiuum. Sunt ergo differentiæ diuersæ si diuersa sint genera. Aliter uero diuisit Plato in Gorgia, nempe alias tantum sermocinales esse scientias, qualis est Dialectica: alias actiuas duntaxat, ut pictura: nonnullas mistas, quæ simul sermocinales actiuæque sunt, idque tribus modis. aut enim tantundem uerborum actionisque habent, ut citharædia. simul enim & canit & cithara personat. differt autem a citharistice. nam hæc plectit & canit. citharistice plectit tantummodo: ut alea ante iactum quæ opus sunt inuocat, tum quæ iactus tulit ante transpositionem fatetur. Mistæ ergo aut actionem cum sermone æqualiter obtinent, aut sermonis plus quam actionis, ut histrionica, iuxta id quod a quodam dictum est, Reddas mihi quæ a patre cepisti meo. illo uero per silentium renuente dixit, pecuniam non inquam, aut contra actionis plus, minus sermonis, ut medicina. hæc enim sic dicta est, quasi medicatrix magis sit quam sermocinatrix. nam & sermone utitur ad dignoscendum curandumque. qui enim nouit optime, is optime curabit. Quoniam uero pluribus dicuntur modis diuersa genera (nam diuersa censentur, uel quæ a se mutuo plane distant, ut substantia & quantum. uel quæ sunt haud prorsus disiuncta, ex aduerso tamen inter se ab eadem diuisione diducuntur, ut uolucre & aquatile. hæc enim commune genus animal obtinent. Dicuntur & subalterna diuersa, ut substantia & corpus) ea propter dixit nec subalternatim positorum. fieri enim potest, ut eædem horum differentiæ sint, ut simpliciter animalis & rationalis animalis. nam eædem sunt utriusque tum constitutiuæ tum diuisiuæ. sunt constitutiuæ amborum animatum ac sentiens: sed eædem quoque diuisiuæ mortale & immortale. at eorum quæ non subalternatim collocata sunt, uerum diuersa, nec constitutiuæ eædem sunt, nec diuisiuæ, ut in animali ac scientia diximus. Subalternorum tamen constitutiuæ uti proditum est, plane eædem: at diuisiue, non omnino, sed licet quoque esse diuersas, ut in animali ac bruto animali. Sunt enim eædem, ut monuimus constitutiuæ, non eædem diuisiuæ. nanque simpliciter animalis sunt rationale & irrationale, mortale & immortale. bruti, uolucre, aquatile, terrestre. Eadem & in ijs ratio congruet generibus quæ inter se distincta ex opposito sunt. nam eorum quoque eædem sunt constitutiuæ, diuisiuæ diuersæ. bruti enim eæ sunt quas recitauimus: rationalis, mortale immortale, cœleste terrestre. Decenter autem uerbum specie apposuit, hoc est re, quo substantiales caperemus differentias. nam generum diuersorum eædem esse differentiæ per proportionem possunt. dicimus enim domus instrumenta partim pedibus esse suffulta, partim expeda. sunt expeda mortarium & eiusmodi reliqua: pedibus munita, sella, lectusque. sed & animalium dicimus alia carere pedibus, alia ijsdem innitu. uerum differentiæ hæ non sunt specificæ. non enim ex eo exprimitur homo quod bipes sit. sed neque si uoce differentiæ eædem esse uideantur, iam specie quoque sunt eædem: si quidem eiusdem speciei non sunt lecti atque animalis pedes, quoniam nec idem est actus. ex proportione autem ijdem sunt, siqua modo similitudo intercedat. nam partes inferiores quæ animalis ac lecti uelut firmamenta sunt, pedes uocantur. ut enim pedes ad animal sese habent, sic fulcra quoque ad lectum. sed non præterea & usus pedum reliquos præstant, uerbi gratia non ambulant, nec secum corpus suo transferunt motu, & similia. Itaque non ijdem specie sunt, sed uoce ac proportione. animalis enim habentur differentiæ ut pedestre & uolucre, & bipes, & aquatile. Pluribus modis diuidi generum differentiæ possunt: ut substantiales differentiæ sunt animalis, rationale & irrationale. a tempore autem ducuntur uitæ, ut mortale & immortale, & a loco in quo commorantur, ut uolucre, pedestre, bipes, aquatile, & a partibus corporis, ut pedibus subnixa & expeda. Sunt porro & differentiæ aliæ, ex alijs quæ animalibus insunt depromptæ. Aristoteles uero exemplo usus a loco, ab alia quoque diuisione exemplum, differentiæ a partibus desumptæ in medio data opera interseruit, docere uolens nihil in proposito si differentias quoque alias accipias explorandis generibus referre. namq; inter se, nec differentia prima nec secunda, neque ulla absolute genere diuersa conueniunt} Subalternorum uero generum nihil easdem esse prohibet differentiæ} Recte dixit nihil prohibet. nam non eædem ex necessitate differentiæ subalternorum sunt generum, ut aperuimus. sæpe tamen numero easdem esse contingit. nam constitutiuæ quidem sunt eædem semper, quanquam solæ habeantur. plures enim sunt inferiorum. quandoque uero & diuisiuæ, ut superius enarrauimus.

DE INCOMPLEXIS.

ORVM *Quæ secundum nullam complexionem dicuntur unumquodque aut substantiam significat, aut quantũ, aut quale, aut ad aliquid, aut ubi, aut quando, aut situm esse, aut habere, aut agere, aut pati. Est autem substantia quidem (ut in figura dicatur) ut homo: equus. Quantũ autem, ut bicubitum: tricubitũ. Quale, ut album: grammaticum. Ad aliquid, ut duplum: dimidium: maius. Vbi uero, in foro: in Lyceo. Quando autem, ut heri: superiore anno. Situm uero esse, ut iacet: sedet. Habere autem, ut calceatum esse: armatum esse. Agere uero, ut secare: urere. Pati, ut secari: uri.*

Eorum quæ secundum complexionem nullam dicuntur singula aut substantiam significant, aut quantum, aut quale} Tradita uocum bipartita diuisione in simplices atque complexas, eodem pacto & diuisionem rerum secundum utrunque segmentum conficere uoluit. Ergo cum prius sectionem nobis, ut complexorum in

G quatuor præbuerit, uniuersalis uidelicet substantiæ & particularis, atque uniuersalis particularisq; accidentis, nunc partitionem in decem ueluti simplicium tradit. priusque per res tanquam umbratili pictura ea nobis describit, ut in aliquam nos eorum notitiam deducat, postmodum articulatim nos de unoquoque docturus. Quamobrem uero eorum quæ secundum nullam complexionem dixit? quid enim, sunt ne complexiones plures? etiam. nam aut simplex uox est, significatum compositum, ut curro: aut significatum simplex, uox autem cōposita, ut Martiusuicus, & Coruipetra, utque finitiones & finibilia: aut & significatū & uox composita sunt, uelut cum dico Socrates ambulat: aut simplex utrunque, ut prædicamenta. Hic ergo eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur diuisionem facit, eorum inquam quæ nec uoce nec significato complexa sunt. Bene autem dixit eorum quæ dicuntur, propter coniunctiones, articulos, præpositionesque. quæ per se non dicuntur, nec quidquam significant, uerum simpliciter uoces sunt quæ cum alijs pronunciantur, resque ita cum illis significant. atque hinc rursus perspicua est libri intentio. Eorum enim inquit, quæ secundum nullam complexionem dicuntur singula, uel substantiam significant. itaque de uocibus res significantibus de- H cernit. ergo & de medijs agi constat conceptibus. Cæterum sciendum est, rebus uerbo describendis subobscuram nobis ab eo prædicamentorum præberi imaginem. nam rudior eorum præceptio in nudis exemplis duntaxat prodit. subtilior uero tum propria cuiusque enumerat, tum diuisionem affert, ut & quæ insunt prædicamentis, per propria, & quibus ea insunt, per diuisionem dignoscamus. Verum ipse in decem exemplis decem prædicamentorum enumerationem facit: nos uero in uno eodemque exemplo doctrinam conficiemus, in Socrate. Est ergo Socrates substantia, ut homo. et quantum, ut bicubitus, uel tricubitus. quale autem, ut albus, musicusue. ad aliquid, ut iuuenum curator, aut Sophronisci filius, ubi ut docens in Lyceo. quando, ut qui peloponnesiacis fuit temporibus. & facere, ut qui cernit. & pati, ut qui cernitur. situm esse, uti stans, uel sedens, uel sub platano recubans, ut Lysiæ humilitatem orationum audiat. nam aut recta uniuersa membra sunt, idq; stare dicitur: aut supina omnia, & recubare nuncupatur: aut partim erecta, partim strata, quod sedere appellant. habere autem, ut uestes circundatas. Nonnullos quoque hæc angit difficultas, quomodo simplicia esse prædicamenta affirmemus, si quatuor uti præ- I diximus simplicia, sex composita habeantur? dicimusque composita uocari ea, quod speciem nobis inuehant compositionis, cum sint ipsa simplicia. non enim prædicamentum est id quod in loco est, aut tempore: sed est prædicamentum esse in loco, esse in tempore. ob id enim & nonnulla ex ijs per infinitum nominauit, ne asciscendis personis compositionem quampiam induceret. ut facere, & pati, & habere, & situm esse. Quoniam uero decem prædicamentorum ens genus non est, digeri quoque in ordinem possunt. prior ergo substantia est, ceu subiecta omnibus. secundo loco quantum, siquidem & informis materia quantitatem prius induit, tum sic qualitate afficitur. tertium quale, ac prius eo quod ad aliquid fertur, quando et id quod per se existit eo quod alio spectat prius est. At hæc si sic habent, utique priora ea sunt quæ ex substantia & quanto ijs quæ ex substantia & quali consistunt quæ item ex substātia & quali ijs quæ ex substantia & ad aliquid pertinētibus. {Est autem substantia quidem, ut formula dixerim} Non omnium substantiam notat. non enim intelligibilis apparet substantia, uerum sensibilis. tu uero & reliquas res quæcunque in natura per se sunt, nec alio quopiam egent ut subsistant, substantias intellige.

{Quale autem, ut album, grammaticum} Hic operæpretium est K adnotasse, cum omnis in subiecto qualitas habeatur, nō omnis autem sit idem specie subiectum sortita, sed partim consistat in corpore, ut calididitas, partim ipsum esse in animo habeat, ut Geometria, uelitque Aristoteles per exempla duplicem speciem qualitatis ostendere, inclamasse eum, ac dixisse, Quale autem, ut album, grammaticum, utique album sumens qualitatis exemplum in subiecto corpore insitæ: eius uero quæ ipsum esse in animo obtinet, grammaticum {Habere autem, ut calceatum esse, armatum esse} De ijs quoque simplicibus intelligendum esse liquido constat. ait enim. Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur. Cæterum sunt qui quærant, cur quemadmodum sunt facere ac pati opposita, aliudque faciendi prædicamentum statuat, aliud faciendi, non idem & hoc loco agat (sunt enim opposita habere atque haberi) nec ipsius haberi prædicamentum dixerit, sed eius tantum quod est habere? Dicimus itaque posse hoc sub situs prædicamentum referri, ipsum inquam haberi. id enim haberi dicimus quod usquam est situm, ut in horto. uerbi gratia arbores, uel ut in corpore arma, seu uestis, atque hæc ipse haberi diceret. hortum quoque habere arbores, & eos ab ipso haberi: quæ & per situm esse, L uti diximus, pronunciare nobis licebit. unde & sæpe ita loquimur, amictus palliosum, uel talis est armis circundatus quod Græci dicunt περικεῖσθαι. Quemadmodum igitur in facere ac pati utrunque idem subiecto prædicamentum est, respectu autem diuersum (nam facere dicimus cum a faciente, pati ubi a patiente inceperimus) ita hoc quoq; loco habere & situm esse siue haberi sunt eadem subiecto, respectu diuersa. habere enim dicimus cum initium ab eo qui habet sumpserimus, cum autem ab illo quod habere quis fertur, situm esse, siue haberi.

Singula igitur eorum quę dicta sunt, ipsa quidem 6 *secundum se in nulla affirmatione dicuntur, uel negatione, horum autem ad seinuicem complexione, affirmatio, uel negatio fit. Omnis enim affirmatio aut negatio uidetur, uel uera, uel falsa esse. eorum autem quæ secundū nullam complexionem dicuntur nullum neque uerum neque falsum est. ut homo, album, currit, uincit.*

Vnumquodq; autem ex ijs quæ recensuimus ipsum quidem per M se in nulla affirmatione dicitur, negationeue, at horum mutuo complexu affirmatio fit uel negatio} Hic a sequentis libri intentione, qui de interpretatione inscribitur, propositi libri intentionem discernit. quoniam in hoc de uocibus docet simplicibus, in illo de affirmatione ac negatione. distinguit aut syllogismo in secunda utēs figura: cuius medium terminum sumit ueritatem ac falsitatem. ait enim, omnis affirmatio uel negatio ueritatem, aut falsitatem significat: nulla simplex uox affirmationem, aut negationem designat. neq; enim si homo homo sexcenties dixero, uerus sum aut mentior. similiter si ambulat, ambulat sexcenties proferam, nec uerum, nec falsum enuncio. Quod siquis asseueret dicentem ambulo uel uerum esse uel falsum (nam si forte ambulet uerus est: sin minus, falsus) respondemus, eum qui ambulo dixerit, pronomen quoq; ego potestate comprehendisse, perinde ac si ego ambulo dixisset. Quamobrem quicunque ambulo inquit, potestate pronomen ego ad ueri & falsi generationem amplectitur: nec prædicamentum solum ipsum per se, nec simplicem uocem pronunciat. iam enim commonuimus simplices non sola uoce æstimandas, neque compositas. sed

uoces

A uoces quoque complexas, si simplex quidquam declarent, simplices esse. & quasdam simplices, si id quod intelligitur complexum nec simplex habeant, compositas haberi. Quocirca curro non simplex est, quoniam nec significatum simplex. Aristoteles uero hanc ipsam prius dubitationem reprimens dixit. Eorum quæ secundum nullam complexionem dicuntur, hoc est eorum, quæ nec significato complexa sunt. Igitur uoces simplices, uti explicatum est, si per se proferantur ipsæ, nullam ueritatem, aut falsitatē indicant: at affirmatio omnis, uel negatio plane, aut ueritatem, aut mendacium declarat, ut si inquam Socrates ambulat, si forte fortuna ambulet, uera locutus sum: sin sedeat, falsa. Rursus quoq; cum dixero Socrates non ambulat, si non ambulet, ueritatem sum assecutus: sin ambulet, mentitus. Ergo prædicamenta, uti est proditum, cū uoces simplices sint, ueritatem nullam, uel falsitatem significant. quod si inter se conferantur, affirmationem faciunt, uel negationem, in quibus ueritas inest & falsitas: ut homo currit, ex substantiæ & faciendi prædicamēto conficitur. affirmatio autem, negatiua particula quadam in medium ascita, negatio fit, ut homo non ambulat {In nulla affirmatione dicitur, uel negatione} Multa exemplaria quæ quidem & emendatiora ui- B dentur non habent, uel negatione: uerum id solum, in nulla affirmatione dicuntur, si enim prædicamentum nullum affirmationem significat, multo magis negationem: quoniam particulam negatiuam desiderat: magisque suspicabitur quispiam ipsum facere aut aliud prædicamentum aliquod affirmationem esse quam negationem {Omnis enim affirmatio uel negatio ueritatem significare aut mendacium uidetur} Verbum uidetur adiectum est, quoniam nec affirmatio uera est omnino, nec falsa prorsus negatio, ut siquis dicat curro, uel non curro. Quandoquidem igitur ego pronomen in ijsce subauditur facultate, huius gratia dixit uidetur. aut igitur hoc est, aut uacat uerbum uidetur, aut elegans est error scriptorum, aut pro eo dicitur quod est, ita omnibus uidetur. Quærunt aliqui sub quod prædicamentum oporteat & punctum, & ipsum nunc, & unitatem referri. ab substantiam quidem non potest: nam ea per se existens quiddam est: horum autem nullum propriam subsistentiam obtinet. habet enim suum esse in linea punctum, cū lineæ finis atque initium sit: & nunc in tempore. nam tempus non est, sed temporis principium finisq;. Per nunc, temporis momentum intelligo, latitudine omni prorsus abiuncta. Vnitas quo- C que principium numeri, nec ullo pacto numerus est. quare nec seorsum est numerus, sed ipsum esse in numero obtinet. est enim principium. at esse principij in illis habetur quorū est principium. Neque uero hæc quanta dicere possumus. est enim æquale & inæquale proprium quanti. punctū autem & ipsum nunc, cui erunt æqualia? nam nec punctum puncto æquale dicitur, nec nunc similiter. sed nec unitas unitati qua unitas est. æqualia enim ea dicimus quæ idem quantum, ac partes similiter habent easdem. at hæc nec quanta sunt, & partibus carent. Verum nec dici de ijs potest inæquale, tametsi quis in ipsis æquale dici concesserit. tempus enim tempori, uel æquale fertur, uel inæquale, & numerus numero æqualis, uel inæqualis, & linea lineæ, ut quæ quanta sunt. nam pro partium identitate, uel æqualia, uel inæqualia nuncupamus. hæc uero cum sint impertia, nullumque ex ijs quæ commemorauimus collationem ad alia effugerunt. Præterea, quantum partim continuum est, partim discretum. hæc autem nec continua nec discreta sunt, sed partibus uacant. Id enim continuum uocamus, quod habet unitas partes, discretū quod seiunctas. Porro illud sciendum, quosdam redigere sub ea hæc uelle quæ ad aliquid referuntur, atq; hæc suorum consequentium principia esse affirmare, punctum lineæ, unitatem numeri, instans temporis. D Principia igitur si sunt quorundam principia, id genus autem sunt quæ ad aliquid pertinent (nam pater filij pater est, & dimidium dupli dimidium) ergo & hæc sub ea quæ ad aliquid spectant referri. Sed respondemus ad aliquid se habentia, ut fatetur ipse inferius quorundam respectus esse duntaxat, nec propriam habere subsistentiam: sed ipsum esse in alijs obtinere prædicamentis. nam aut in substantia, aut in quanto, aut in quali, aut in quopiam alio prædicamento censentur. eaque ob id adnatis assimulat, quorum esse in alijs hoc est in stirpibus habetur. Est igitur in prædicamentis omnibus ad aliquid spectantia contemplari. cum enim dixero, pater filij pater, ad aliquid relata in substantia dixi: cum autem, duplum dimidij duplum, eadem in quantitate pronunciaui: cum albius albo albius, in qualitate, atq; in alijs similiter. Hæc igitur ipsa per se quid sint, quoue sub prædicamento agant, ac ipsorum tunc mutuum respectum opus est exponamus. Quid itaq; dicemus? Nempe sub nullum hæc re uera prædicamentum quantum ex præsentis operis intentione recipi. siquidem propositum est, ut sæpe diximus, Aristoteli nō de entibus qua sunt entia disserere, sed quatenus ab id genus uocibus significantur ab hominum frequentia. uult enim in hisce de uulgo notis do- E cere. Quoniam ergo nullam de his plures homines notitiam obtinent, tametsi ea licebat sub unum prædicamentum quantum inquam referre, ac dicere quantum alterum secari in partes, alterū impers manere: sectile aut continuum esse, aut discretum: atq; hæc sub indiuisibili quanti segmento statuere, non tamen reposuit: propterea quod de hisce rebus institutio propositi libri intentioni nequaquam conueniat. Atque uelle ipsum non de entibus decernere qua entia sunt, constat ex eo, quod cum triplicem in naturali auscultatione substantiam prodiderit, unam quæ ad materiam pertinet, alteram ad formam, tertiam ad utranque simul, nusquam hic neque materiam per se, neque formam, substantiæ nomine appellandam censet: perinde quasi nullam horum multitudo utpote simplicium notionem habeat, sed compositum ex ijs duntaxat norit. Cæterum & illud disquirunt, sub quod prædicamentum referendæ priuationes negationesque sint? Respondemus sub nullum potissimum: quando nec finitum quicquam declarant: at indicatiua certarum sunt rerum prædicamenta. quod si omnino prædicamento subijci eas opus sit, ad idem sese priuationes ad quod & habitus recipient: et inficiationes ad quod affirmationes quoq; referen- F tur acceptæ. est enim genus idem contrariorū, ut albi & nigri, & calidi & frigidi, ac similium. Rursus quærunt motus & mutationes sub quod prædicamentum conferri oporteat? atq; sub nullum inquam. sunt enim prædicamenta earum rerum quæ in natura existunt, quæq; suam perfecte ipsarum formam receperunt. est autem imperfectum quiddam omnis mutatio, uia enim est ad formam atq; ens mutatio, non ens ipsum. Aliter quoque respondeas. nempe ne fieri quidem posse, ut sub unum prædicamentum mutatio omnis redigatur. in pluribus enim ut ipse edocebit uisitantur mutationes. nam & in substantia sunt, ut generatio & corruptio: & in quanto, ut actio & decretio: et in quali, ut dealbatio & denigratio: & in prædicameato ubi, ut ascensus, descensus, reuolutio. Quamobrem mutationes uiæ sunt quæ ad prædicamenta deducunt alia ad aliud, nec ipsæ prædicamentum complent. nam mouere atque omnino mutare sub faciendi, moueri autem & in summa mutari sub patiendi prædicamētum referentur. ipsi uero motus mutationesq; cum uiæ ac generationes quædam ad prædicamēta sint, ad ea quomodo diximus si oporteat redigentur.

Ad idē prædicamētum sese priuationes ad q. et habitus recipiēt idē Simplic. 1. physi.

Priuatio ergo substantiæ erit in prædicamēto substantię, neq; hoc faciet formam corporeitatis genericam de prædicamēto substātiæ primæ materiæ coæternā a formis specificis realiter distinctā, deferentibus, ut in nr̄a de hoc cōtēplatione liquido constat.

Pro his uide quæ dicit Auer. 5. physico. cō. 9.

Pro intellectu horū uerboru; Ammonij, sciendū est quod

DE SVBSTANTIA.

SVBSTANTIA *autem quę proprie, & principaliter, & maxime dicitur, est quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neq; in subiecto aliquo est: ut quidam homo, & quidā equus. Secundæ autē substantiæ dicuntur species, in quibus eæ, quæ principaliter substantiæ dicuntur, insunt, & hæ quidē, & harū specierum genera, ut quidam homo in specie quidem est in homine, genus uero speciei animal est. secundæ igitur hæ substantiæ dicuntur, ut est homo, atque animal.*

Substantia quæ potissimum, & primo, & minime dicitur, est quæ neq; de subiecto dicitur aliquo, neque in subiecto quopiam est, ut aliquis homo, & aliquis equus} Cum ea exposuerit quæ ad absolutam prædicamentorum conferunt præceptionem, eumq; proximenos rudius ac ueluti in exemplis de ipsis quoq; prædicamentis docuerit, nunc ad exquisitam etiam ipsorum enarrationem conuertitur: docetq; prius de substantia. Nam primū in prædicamentis locum substantia obtinet: eamq; ob id cæteris iure anteposuit: siquidem hæc simul cum alijs infertur, nam si sit quoduis ex accidentibus, erit omnino & substantia cui id accidit. reliqua uero secum non infert: neque enim si sit substantia, prorsus & aliorum quodq; est: & tollit quidem secum alia, non ipsa tamen cum alijs tollitur. At quæ simul interimunt nec simul interimuntur, quæque simul inferuntur non simul inferunt, ea priora esse natura confessum est, itaque natura prior est cæteris substantia. Alia ratio. Res partim per se, partim in ipso, partim circa illud dicuntur. per se est ipsa substantia. in ipso quantum & quale. in substantia enim spectantur. circa illud septem reliqua habētur. Præterea, hæc per se subsistit, neq; alijs ad existētiam indiget. reliqua hærent in alio. nam ipsum esse in hac habent. si enim substantia sit, alia quoq; sint prædicamenta est necesse: at nisi sit, alia subsistere haudquaquam possunt. Porro hæc substantia tum simplex est, tum composita. Sex enim modis substātia dicitur. nam aut existentiā omnem declarat, quæ & de accidentibus fertur: quasi ea quoq; propterea quod in rerū natura existant substantiæ siue essentiæ nuncupentur. aut naturam nō in subiecto iacentem, quæ ex opposito ab accidētibus dirimitur. hæc in subiecto nō hærens natura, aut simplex, aut cōposita est. simplex quædā deterior quam cōposita, quædam præstantior. Est autē substantia cōposita, homo, & id genus alia. simplex uero & quam cōposita præstantior, Deus, angelus, mens, anima, & similia. simplex & quam composita deterior, materia prima, formaque. Disputat autem hoc loco Aristoteles neq; de simplici atque ea quæ præstat compositæ (non enim de rebus diuinis sibi disserendum proposuit) neque de simplici ac deteriore quam composita, quando nec scrutari de natura instituit, sed de sola composita. atque huius alteram primam esse ait, alteram secundam. primam uocat particularem: secundam uniuersalem, quæ ad species ac genera pertinet. nam ut proditum est sæpenumero, non de entibus qua entia sunt commentatur, sed de quali significato uulgus loquendo quodlibet prædicamentum ferat. quandoquidem si naturam esset rerum secutus, primam generum ac specierum, secundam indiuiduorum dixisset, utpote illam causam, hanc ut ita dixerim causatum. enimuero causa causato, & uniuersale particulari potius est. Item priora naturæ, posteriora nobis. et nobis priora, naturæ posteriora sunt. Quoniam igitur ad introductitios ei sermo est, merito particularem substantiam primam appellauit, est enim sensui hæc euidentior: secundam, quæ in generibus ac speciebus consistit. a particularibus namq; ad uniuersalia, illucescente sero in nobis ratione subuehimur. ideo quasi dogma haud quaquā probans, non quæ potissimum & primo & maxime est, sed dicitur, pronunciauit. atq; quo planior sermo noster fiat, dicamus hoc pacto, transpositis philosophi aliquantulum uerbis. Substantia autem quæ & potissimum & primo & maxime dicitur, hæc est, id est quæ uulgo dicitur. At ubi uelut ex propria sententia sermonem profert, nō amplius dicitur, sed, est, uerbū usurpat. nam quæ inquit nec de subiecto aliquo dicitur, hoc est prædicatur, nec in subiecto quopiam est, & non nec in subiecto quopiā dicitur: cū ipse dogmati assentiatur. Enimuero cognitam Aristoteli et intelligibilē fuisse substantiam ac compositis præstantiorem ipse plane & in metaphysica ostendit, & in libris de cœlo, atque in octauo naturalis auscultationis: ubi per se inquit mobilia priora esse ijs oportere quæ aliunde mouentur, & immobilia semper mobilibus. nam nisi immobilis quædam sempermobilium causa existeret, utiq; illa motu sempiterno haudquaquam perdurassent agitanda. Hanc autem incorpoream esse, ac partibus carere dimensionibusq;, tali quodam demonstrat theoremate. (nihil enim fortassis ab re fuerit speculaminis uelut in digressione meminisse) nam hanc asserit causam ui infinita constare. quod si est, plane quoque incorpoream. nam corpus omne, ut ipse ad calcem octaui naturalis auditus uoluminis probat, finitam obtinet potestatem, si enim infinita, datum sit inquit esse infinitam. quando igitur diuidi potest omne corpus, diuidamus corpus hoc, in tria uerbi gratia inquit. utrum ergo segmentum quoduis infinitam uim an finitam possidet? si infinitam, pars toti tantundem ualebit: id quod absurdum est, nec fieri potest. si finitam, patet id quoque quod ex finitis constat finitum plane esse. quare & totius corporis finita uis erit, nec infinita. ergo corpus nullum finitum ui infinita præditum est, corpus autem nullum infinitum est magnitudine. nam id quoq; ipse in physica ostendit. nullum itaque corpus infinitam uim obtinet. hoc si sit, ergo quod facultatis infinitæ compos sit, corpus non erit. incorporea est igitur prima substantia, siquidem & infinita pollet facultate. Porro non intelligibilem substantiam solum compositis nouit præstantiorem, quam græci dianoeticen nominant. idque in demonstratiua probat commentatione. ait enim uti se habet sensus ad sensibilia, sic haberi demonstrabilia ad demonstrationem. sic ergo & permutato ordine ut sensus ad demonstrationem, ita fore ut sensibilia sese ad demonstrabilia habeant. ergo si sensus deterior propterea est demonstratione, quod hic circa particularia, illa circa uniuersalia uersetur, deteriora quoq; erunt scibilibus sensibilia. quare non intelligibilem duntaxat, sed cogitatricem quoq; præstantiorem compositis substantiam cognouit. hic autem quæ secundæ sunt primas uti diximus nominat, ijs de causis quas sæpius recensuimus {Quæ neq; de subiecto dicitur aliquo, neq; in subiecto quopiam est} Quæritur cur substantiam prædicamentis præstantiorem negatione finiuerit, si negationes affirmationibus contemptiores esse arbitramur. Itaq; dicimus, atqui contra finitiones per negationem ascitas maiorem subiecto dignitatem afferre. Sic ergo & Deum Opt. Max. significare uolentes, non quidquam de eo, ut diuinus inquit Plato, affirmamus: sed ad negationes uenimus. Interrogante enim Timæum Socrate quid Deus esset, quid non sit noui quidem inquit ille, quid uero sit haud noui. nam nec corpus, nec colorem, nec angelum, nec eius quidpiam generis, sed his præstantio-

rem

per G uiā quæ est motus possumus intelligere uiā ad quam, et uiā per quā uia ad quam est forma diminuta sub qua reperitur mobile priusq̃ recipiat forma3 perfectā, & ad hāc prius trāsmutatur quā ad perfectā, et tūc mo- H tus sumptus pro hac uia est in pluribus uno prædicamēto, qa forma perfecta terminās motū est in pluribus prædicamentis, uia autē per quā est trāsmutatio ipsa quā mobile dēt trāsmutari, quæ quo ad trāsmutare ē in pdica- I mento actionis, quo uero ad transmutari est in prædicamento passionis, quatenus autem ad successum ipsi coniunctum est de genere cōtinuorū3 ut patet per Arist. 3. physi. tex. 1. quo uero ad id quod ē in motu est ad aliquid quæ

K doquidē est in quadam habitudine ad mouēs ut patet. 3. physi. tex. 3.

Hoc considerati one dignū est quo modo uerū sit formā eē deteriorem substātia cōposita. Idem. 33. b. & 45. b.

At quo modo fieri pōt L ut gña et spēs sint naturæ priora, nobis aūt posteriora cū cōia sint & cōia sunt nobis notiora ut. 1. phy. tex. 4. patet dicendū cum Simplici. 1. phy. char. 2. & 3. q; cōia atq; uniuersalia sumpta ut proprietates genus per abla- M tionē factæ sic sunt posteriora particularibus nā sunt posterius genita, & per ablatione3 facta quibus quide3 sublatis nō tolluntur pticularia, sed si cōsiderata fuerint ut continentes ipsa pticularia, sunt priora, per hoc etiā ub…

rem esse intelligo. quid autem sit non intelligo. Quapropter subiectum interim magis eiusmodi exornant finitiones: cum ab inferioribus omnibus ipsum seiungant. Solent quoque in materia finitionem negatione explicare hoc modo, quæ nec homo, nec lapis, nec ignis, nec corpus denique est: sed deterius quid quam ut æquiparari his debeat. Quocirca assimilari Deo materiam dissimiliter ferunt. assimilari, quoniam uterque aliorum negatione indicatur: dissimiliter uero, quoniam cum hic præstantior existat quam ut entia omnia conferri ei possint, uniuersa abnegamus: deterior autem cum sit materia omnium comparatione, hæc inficiamur. Quærendum uero est num hæc in substantijs quoque intelligibilibus ut angelo ac similibus finitio quadret, ut dicere eas possimus neq; in subiecto esse, neq; de subiecto appellari. nam et in ipsis quodammodo cōpetere ratio uidetur. sed asserimus non cōpetere. nam quæ acceptæ negationes in definitione sunt, non sublationē solū, sed positionē quoq; significant: siquidem ad aliorū distinctionem dicuntur. nam non in subiecto quæ est substantia ad eorum quæ sunt in subiecto hoc est accidentium differentiam dictum est: non de subiecto autem ad eius quod de subiecto fertur discrimen. Enimuero quemadmodum duplex lumen est, alterum econtra a tenebris, ijs inquam quæ in aere offunduntur discretum, alterū quod nusquam refertur, nec oppositum habet ullum, ut solare: ita negationes quoque hic per se ipsas quandoque, nec ad discriminationem, interdum uero ad oppositorum discretionem dici affirmabimus. Ergo si negationes hoc loco non ad oppositorum discrimen acciperentur, utique conuenire in intelligibilibus substantijs finitionem, haudquaquam ratione quodammodo uacaret: quoniam nec in aliquo insunt subiecto, nec de ullo subiecto prædicantur. nunc uero assumptis ad differentiam negationibus, iure particularibus substantijs finitione dignitatem comparamus, cum eas per id quod dicit non in subiecto seiungamus ab accidentibus: per uerba autem hæc non de subiecto, ab ijs quæ de subiecto prædicantur discernamus. Et uero hic ipsis dignitatem adhibemus cum usum alijs præbere, nullius uero egere eas affirmamus. uniuersalia enim ad prædicationem opus habent particularibus, hæc uero illis non item. At intelligibilibus substantijs nullam per hæc dignitatem afferemus. nihil enim proditum magni esset si has in subiecto non esse diceremus. neque enim aduersus eas distinctum accidens quodpiam est: siquidem nec capaces omnino sunt accidentium. At quid de intelligibilibus loquor substantijs, quando nec in sola anima ratio congruet, utique cum absolutam eam a corporis uinculo, ac similē Deo redditam, bonumq; mundanum inspicientem contemplamur? at cum in generatione spectatur, corporibusq; complexa est, tunc & in ipsa finitio quadrabit, ut quæ subdita est accidētibus. nam philosophiæ, uel grammaticæ, uel alij cuiquam subiecta scientiarum est quæ circa ipsam contigere. Porro duorum quæ in finitione accepta sunt, alterum prius natura est, alterum doctrina. cum enim sint substantia & accidens, & uniuersale & particulare, prior natura substantia est, quod per se ea subsistat, illa uero ipsum esse in hac obtineant. quod autem ad propositæ intentionem doctrinæ attinet, prius est particulare. etenim natura uniuersale est prius. Itaq; ex ijs quæ in finitione sunt accepta alterū ex rerum natura prius est, alterum ex doctrinæ intentione. Atque eum specta de subiecto & in subiecto docere non temere anticipasse: quādoquidem futura nobis obscura finitio erat, uocibus quæ ignotæ essent in ea assumendis {Secundæ uero substantiæ dicuntur} Quærere hoc loco dignum est, qualem in substantia modum usurpauerit diuisionis. nam diuidendorum quædam uelut genus secantur in species, ut animal in rationale & brutum: alia sicut totū in partes, ut corpus in manus & pedes & caput ac reliqua. nonnulla uero ceu uox æquiuoca in significata diuersa, ut mus in marinum terrestremq;. nulla igitur harum diuisione substantiam in primam ac secundam diducit. Itaque dicimus primum, diuidendorum uti genus in species sectionem non esse. nam id genus diuisioni consequens est, una abolita specie, non simul & reliquas aboleri. homine enim perempto, non simul & reliquæ intereunt animantes, quæ species sunt animalis. at hic secunda si intereat substantia, simul aufertur & prima. nam nisi genus sit ac species, nec erunt indiuidua. Præterea nulla species alteram speciem cum in eadem a se inuicem diuisione seiunguntur continere potest. neq; enim continet homo equum, si in hæc discretum animal sit. sed nec iterum a rationali animali brutum cōprehenditur, aut econtra, si animalis rursus in hæc fiat diuisio. At uero nec ita plane diuidas licet, ut alterum in altero claudatur. uerbi gratia animal aliud est inops rationis, aliud equus. nam & equus in bruto censetur. neque enim quod continetur id a continente contra distinguitur, dicimus uero animal aliud impos esse rationis, aliud compos. quoniam cum æquali a genere hæc distent absentia, neutrum in altero concipitur. at hic secunda substantia primam complectitur. species enim genusq; adhuc magis contentiuum est indiuiduorum. non ergo uti genus in species substantiam in primam ac secundam diremit. Verumenimuero nec sicut totum in partes, nec similares, nec dissimilares. neque enim ex aduerso partem a toto, sed partes a partibus hac in diuisione licet segregemus. nam nec manus dicimus aliud manum esse, aliud digitum. continetur enim in manu digitus quoque. hic uero eregione distinguitur a toto pars: quippe & secunda in prima concluditur. Quinetiam in ijs quæ ceu dissimilaria diuiduntur, totum propriæ parti nequaquam nomen impertit, ut in facie sese res habet. non. n. pars uerbi gratia os facies nuncupatur. hic autem pars utraque totius nomine substantia uocata est. Rursus quæ ut similaria dissecantur, totius habent nominationem finitionemque, ueluti in carne. similiter enim pars carnis caro dicta est: & uero carnis finitionem admittit. at hic tametsi prima nomen cum secunda cōmune habeat, non tamen & finitione conueniet. non enim unam edes animalis uel hominis finitionem ac Socratis. nam ne finitio quidem plane est indiuiduorum. hominis autem animalisque est. ergo substantia neque ut totum in partes consumitur, neque in dissimilares, neque in similares. Verum nec ut in diuersa significata uox æquiuoca dispertitur. nam eius generis diuisio idem distribuit, nomen segmentis, rei communitatem non distribuit, ut homo & uerus & pictus. hic uero est primæ substantiæ & secundæ quædam uel penes definitionem communitas: nam commune in ambabus est in subiecto non esse. Quid igitur dicimus? nempe diuisionem non esse prorsus quæ nobis hoc loco traditur, sed ordinem solum enumeratorum: ueluti si quis orationis principia alia elementa esse dicat, alia syllabas, alia dictiones, alia nomina & uerba. uel hominibus quibusdam ordine sedentibus, hunc esse primum asserat, illum secundum. ordinis enim est id, non diuisionis. {Secundæ uero dicuntur substantiæ in quibus speciebus eæ substantiæ sunt quæ primæ appellantur} Quamobrem uero non in uniuersum dixit, Secundæ dicuntur substantiæ species & genera, sed in quibus speciebus eæ substantiæ sunt quæ primæ appellantur? Dicemus subtiliter admodum ita dissertum. nam si genera & species dixisset, quoniam in alijs prædicamentis genera speciesque habentur, ut color genus in quali, species album & nigrum, esse in accidentibus quoque secundas substantias suspicari

D E F

de A Alex. in lib. 1. difficultatū et solutionū naturaliū cap. xi. et qa Simplic. obscurissimus est, ideo credo ipsum uoluisse q; aīal bifariā cōsiderari potest, uno mō ut totū uniuersale, et sic ē posterius. altero uero mō ut pars essen- B tialis inferioris, et sic erit prius. His consona sunt quæ dicit ipse Them. 2. libro de memo. et remi. cap. 14. ubi ait dianœa nihil aliud ē, quam cū imaginatiōe actio intellectus iuncta, quæ a latinis dicitur cogitatrix. C

Quo modo ul'e sit prius natura si nobis notiora sunt, uide p hoc quæ designauimus supra. 34. b. in margine.

G nobis liceret.ob id non species quaslibet,sed in quibus primæ substantiæ inueniuntur speciebus secundas substantias appellauit. Est uero uel hoc loco adnotandum , in ijs ipsum quæ non ex propria afferuntur sentētia uerbum,dicuntur, protulisse.secundæ enim inquit dicuntur substantiæ.quæ autem ex propria opinione asserunt-ur,in ijs non,dicuntur,sed insunt pronunciare . in quibus enim inquit speciebus eæ substantiæ sunt quæ primæ appellantur.neque in secundis duntaxat substantijs uerbo dicuntur,sed in primis quoque est usus . eæ enim inquit substantiæ quæ primæ appellantur . Ipsi autem primæ substantiæ in speciebus esse ac generibus,ut in uniuersalioribus uidentur . Verum tamen & genera & species , ut traditum est , perinde quasi in indiuiduis sint licet sumpsisse . cum enim ut communitates ea ceperimus, tunc uniuersaliora sunt,quasi in se indiuidua complectantur. at cum in Platone , aut Socrate genus,uel speciem acceperimus,tunc ut elementa ea capientes indiuiduorum,dicemus indiuiduis ipsa ut partes in totis contineri.

Per hæc saluare possumus genera et spēs esse priora quo ad nos , ut cōitates , ut uero II elementa erunt priora quo H ad naturaz, nobis uero posteriora.

Manifestum est autem ex ijs quæ dicta sunt, quod eorum quæ de subiecto dicuntur necesse est & nomen & rationem de subiecto prædicari: ut homo de subiecto quodam homine dicitur.prædicatur etiam & nomen . hominem enim de quodam homine prædicabis: & ratio quoque hominis de quodam homine prædicabitur.quidam enim homo, & homo est & animal.quare & nomen & ratio de subiecto prædicabitur . Eorum uero quæ in subiecto sunt , in plurimis quidem neque nomen neque ratio prædicatur de subiecto : in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de subiecto,rationem uero impossibile est:ut album cum in subiecto sit corpore , prædicatur de subiecto(dicitur enim corpus album)ratio uero albi nunquam de corpore prædicabitur. Alia uero omnia aut de subiectis dicuntur primis substantijs ,aut in subiectis eis sunt. Hoc autem manifestū est ex ijs ,quæ per singula proponuntur: ut animal de homine prædicatur: ergo & de quodam homine animal prædicabitur.nam si de nullo quorundam hominum,neq; omnino de homine. Rursus color in corpore est:ergo & in quodam corpore. nam si non in aliquo esset singulorum,nec omnino in corpore . quare alia omnia aut de subiectis primis dicuntur substantijs , aut in subiectis eis sunt. Non ergo existentibus primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum esse.

Porro ex ijs quæ diximus constat, esse eorum quæ de subiecto dicuntur necesse tum nomen tum rationem de subiecto prædicari} Vult hoc loco primam substantiam laudibus efferre , dictamque eam non inepte substantiam primo & potissimū & maxime suisse: quandoquidem hæc nullo eget posteriore: quæcunq; autem post primam substantiam sunt, illam partim ad subsistentiam , partim ad prædicationem requirunt.est igitur hæc intentio. ad propositi autem probationem hæc præsumit, atque inquit ex dictis patere esse eorum quæ de subiecto prædicantur necesse & nomen & rationem de subiecto prædicari. Qualibus dictis? nimirū illis quæ de superius traduntur de ijs quæ de subiecto prædicātur,in quibus K dicebat, Quando alterum dealtero prædicatur ut de subiecto,quæcunq; de prædicato dicuntur, de subiecto quoque dicentur omnia. Hæc autem præsumit,cū primam ut dixi celebrare substantiam uelit,nempe quæ de subiecto prædicantur & nomen & finitionē subiectis tribuere.quæ uero sunt in subiectis, ipsum quidē esse in ijs habere : uel nomen autem solum , uel neque nomen neque finitionem subiectis impertiri.enimuero de prima substantia quæcunque præter eam sunt prædicantur omnia . Ergo primæ substantiæ usum omnibus quæ præter eas sunt alijs ad innixum , alijs ad prædicationem præbent. nam quæcunq; præter primam substantiam sunt, aut de subiecto de ea dicuntur,quæ nomen ipsi & definitionē tradunt , qualia sunt genera ac species . hæc enim de ea prædicantur uniuoce.nam & eiusdem particeps nominis est prima substantia, ut dicitur uniuersalis homo de Socrate. nomenq; illi ac definitionem transmittit.nam Socrates,& homo & animal uocatur. horumq; particeps est finitionis.est enim substantia animata sensus compos : & animal rationale mortale . Cætera præter substantiam,accidentia inquam , quæ primæ substantiæ sunt in subiecto, finitionis eam nunquam,nominis uero quandoque solius consortem reddunt.nam albedo est in corpore:nec finitionem unquam corpori impertit. Haud enim dicere nobis liceret , corpus esse colorem qui uisum dissipet : sed forte quod triplici constat dimensione,capax coloris,qui uisum dispergat . nomen tamen impertit . album enim corpus appellamus,uerū non semper.nam ecce uirtus,enimuero hæc neque nomen neque finitionem confert subiecto. nō enim qui uirtutis particeps est uirtuosus,sed studiosus perhibetur. Quæ autem nomen distribuunt , partim æquiuoce id faciunt , quæ & rara sunt:partim denominatiue . æquiuoce,ut grammatica mulier a grammatica : & musica a musica . denominatiue autem , quæ etiam sunt plurima,ut a fortitudine fortis, & a grāmatica grammaticus,& albus ab albedine, & quæcunque eiusmodi sunt {Alia namque omnia uel de subiectis dicuntur primis substantijs } Bene dicuntur.non.n.egent particularibus uniuersalia ut subsistant,sed ut de illis prædicentur{ Aut in subiectis sunt ipsis} Recte sunt dixit. nam accidentia ipsum esse in particularibus obtinent substantijs {Hoc autem apertum ex ijs est quæ sigillatim proponuntur} Alia omnia quæ præter primam substantiam sunt, aut de subiecto ea dici , aut ipsi esse in subiecto uult inductione probare , quando uniuersali ratione non potuit.ostendit autem non in speciebus sermonem faciens. nam has perspicuū omnibus est de indiuiduis prædicari.nimirum proprium aliquando non tenentes nomen, indiuidua ipsa ex specie nuncupamus, ac uoca hominem illum dicimus. sed in generibus demonstrationē facit per species medias. si enim demonstratum est,eorum quæ ut de subiecto prædicantur quæcunque de prædicato ut de subiecto dicuntur, ea de huic quoque subiecto nuncupari,prædicatur autem de indiuiduo species ut de subiecto, rursusq; de hoc genus,plane genus & de indiuiduo prædicabitur.uerbi causa si de Socrate homo, animal de homine,ergo & de Socrate animal . Perinde quoque in accidentibus facit.non enim esse album in corporibus monstrat,aut nigrum.nam hoc euidens est.sed esse in corpore colorem. si enim colorem omnem esse ipsum in corpore habere confessum sit , ergo & particularibus inesse corporibus consentiemus.nam corpus simpliciter,de particularibus prædicatur corporibus . si igitur in corpore est color, corpus autem de corporibus particularibus dicitur,ergo & color de particularibus prædicabitur : quoniam in omnibus ijs quæ de subiecto appellantur quæcunque feruntur de prædicato ea de

subiecto

A subiecto quoq; asserentur. Quamobrē uero color dixit in corpore:ergo & in quopiam corpore.nam nisi in corpore aliquo,ne omnino quidem in corpore?quoniam in particulari corpore proprie sunt uniuersale album ac particulare . Quod si dicas quonam ea discernemus?non sensilibus quidem oculis,uerum intelligibilibus. Ac quid tum? colores erunt?nō uniuersalis enim ut est completius, cum particulari non censetur colore . nam completiuum nullum ei connumeratur cuius est completiuum. Sicut enim homo in umbratili pictura & is qui est coloribus distinctus neque duo intelliguntur homines , nec qui completiuus est connumeratur, sed alter communis,utique is qui obscure delinitus est,alter particularis, unusque ambo sunt,sic & in homine uniuersali ac Socrate. Est enim sciendum ut primum pictor communem in rudi pictura hominem designat , dein coloribus exprimens ducit ut Socratem faciat,uel Platonem,sic uniuersalem hominem , cum sit primus,si formationem accipiat,fieri Socratem aut Platonem. natura enim simpliciter hominem facit, non Socratem Platonemue . Ergo nisi primæ substantiæ sint , aliorum quidpiam esse haudquaquam potest{ Alia uero omnia uel de subiecto primarum dicuntur substantiarum,uel sunt ijs in subiecto} Vides quam merito supradicta anticipauerit,laudibus primam substantiam extollere cogitans? cum enim quæ præter eam sunt inquit omnia uel substantiæ sint uniuersales,uel accidentia,prima ut sæpe est dictum substantia,cum omnibus usum præstet , sublata,secum quæcunque præter ipsam sunt sustulit.nam prima interempta substantia , accidentia in quo hæreant non habētia,simul abolita sunt.similiter & uniuersalia,cum de quibus prædicentur non habeant . Porro prædicari in uniuersum dicimus non quæ præ multis sunt. sed nec quæ in multis. nam & hæc quidem simul cum primis substantijs dubio procul perimuntur . non enim quidquam per se hominis in natura rerum est quod nec Socrates nec Plato nec particularium quisquam sit hominum . quippe in multis singularibusque spectantur communia. hæc tamen nequaquam prædicari de indiuiduis consueuere . nam nihil ipsum de sese prædicatur. sola autem ea prædicari de indiuiduis solent quæ sunt post multa,quæque in cogitatione uersantur. (quam enim habemus de rebus notionem,hanc prædicare de ipsis consueuimus) quæ ipsa quoq; una cum sublatis particularibus auferuntur . nam nisi res sint,utique ne de ijs quidem extiterint notiones . Ergo nisi particulares adsint substantiæ , nec uniuersalia erunt,nec accidentia. Merito igitur particulares substantiæ,primæ appellantur . Rursus autem uel hoc loco recte uniuersalibus uerbum dicitur,accidentibus uerbum est assignauit.

Aduerte & acrius inspice q hoc in loco Ammonius uidetur innuere dari naturā communē realē.

Homo uniuersalis primus est, deinde pticularis B pro quo facit dictū Ammonij 23. C. ubi aut particularia uniuersalibus egere, nō ad prædicationem , sed ad existendi inchoationem, nō esset enim Socrates et Plato nisi esset hō simpliciter quare hō uniuersalis est C prior nō, ut cōitas sed ut elementum.

12 Secundarum uero substantiarum, magis substantia est species quam genus. propinquior enim est primę substantię. Si quis enim assignet primam substantiam quid est , euidentius & conuenientius assignabit speciem quam genus assignans:ut hominem quendam manifestius assignabit hominem quam animal assignans.illud enim proprium magis cuiusdam hominis: hoc autem communius. & cum quandam arborem assignauerit , manifestius assignabit assignando arborem quam plantam. Amplius Primę substantię ideo quod alijs omnibus subijciuntur , & omnia alia uel de ipsis prędicantur,uel in ipsis sunt,propter hoc maxime substantię primę dicuntur . quemadmodum autem primę substantię ad alia omnia se habent , sic & D species ad genus se habet . subijcitur enim species generi . genera enim de speciebus prędicantur : species autem cum generibus non conuertuntur . Quare & ex his species genere magis substantia est.

Secundum uero substantiarum magis est substantia species genere} Comparationem facit secundarum inter se substantiarum, speciei nempe ac generis : aitque speciem esse magis genere substantiam,idque duobus ostendit argumentis . altero ab affinitate primæ substantiæ , hoc est a propinquitate qua ad ipsam pertinet:altero a proportione . Atque a primæ quidem affinitate substantiæ , quod primæ substantiæ idest indiuduis proplor sit species genere. A proportione autem , quod ut substantia prima ad speciem,ita ad genus sese species habeat. Si enim ipsam ex eo primam appellauimus , quod omnibus ea posterioribus usum adhibeat,alijs ad existentiam suppeditaneam,alijs ad prædicationem, iure species quoque magis substantia quam genus uocabitur, quæ ipsi ad prædicationē subiacet. Nam si species desit, genus de quo prædicetur non habet : siquidem per mediam ipsam de indiuiduis E etiam prædicatur. {Siquis enim primam substantiam quid sit exponat , is notius familiariusque assignabit speciem reddens quam genus} Hoc est ab affinitate argumentum . Si enim quid Socrates inquit sit expromemus,integre tum hominē, tum animal assignantes loquimur. familiarius uero si hominem quam si animal responderimus . non enim animali dicto significauimus utrum rationale an brutum: & mortale ne an immortale. at si responderimus hominem , propinquius eius naturam explicabimus{Hæc enim magis hominis cuiuspiam propria est,illud uero cōmunius} Est enim Socratis magis proprium esse hominem : animal autem communius.etenim de speciebus alijs pluribus dicitur {Præterea substantiæ primæ quod alijs subiacent uniuersis, ac cætera de ijs prædicentur omnia,uel sint in ipsis,ob id maxime substantiæ primæ appellantur. Vt autem primæ ad alia sese habent substantiæ,sic species quoque habet ad genus} Hoc est argumentum secundū, quod a proportione desumtur . Vt enim sese,inquit, primæ habent substantiæ ad ea quæ præter ipsas sunt,aliquibus ad existentiam subditæ,nonnullis ad prædicationem,ita se species habent ad genera, quibus sunt ad prædicationē subiectæ. genera uero non item subiacent speciebus, quamobrem sunt species iure magis substantiæ. P Porro subtiliter adiecit ac cætera de ijs prædicentur omnia , uel sint in ipsis.nam subiacent omnibus primæ substantiæ, uerum non similiter.alijs enim ut existant subiectæ sunt,hoc est accidentibus: alijs uero idest uniuersalibus substantijs ad prædicationem. Cæ Quæstio terum quæsuerit quispiam cur nō speciem substantiam secundam, genus tertiam nominauerit.Itaque dicimus cum secundas substantias una eademque de causa has nuncupasset, quod prima inquam ad prædicationem opus haberent , horum facere superdiuisionem noluit sed comparare eas duntaxat contentus fuit, atque alteram magis,alteram minus substantiam uocare.

Ipsarum uero specierum quęcunque non sunt genera nihil magis alterum altero substantia est . nihil 13 enim familiarius assignabis de quodam homine hominem assignando,quam de quodam equo equum. Similiter autem & in primis substantijs nihil magis alterum altero substantia est . nihil enim magis quidam

G homo ſubſtantia eſt quam quidam bos. Merito igitur poſt primas ſubſtantias ſola aliorum omnium ſpecies & genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur. ſola enim hæc eorum quæ prædicantur, primam ſubſtantiam indicant. quendam enim hominē ſiquis aſſignauerit quid eſt, ſpeciem quidem quam genus aſſignando familiarius demonſtrabit: & manifeſtius faciet hominem aſſignando quam animal. Aliorum uero omnium quicquid aſſignauerit quis, aſſignabit extraneæ: uelut album, aut currit, aut aliud quodcunq; taliū aſſignans. quare merito hæ ſolæ aliorum ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur. Amplius, Primæ ſubſtantiæ eo quod alijs omnibus ſubijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, uel in ipſis ſunt, propriſsime ſubſtantiæ dicuntur. ſicut autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ita genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad re
H liqua omnia ſe habent. de his enim reliqua omnia prædicantur. quendam enim hominem dices grammaticum eſſe: ergo & hominem & animal grammaticum dices. Similiter autem & in alijs.

Ipſarum autem ſpecierum quæcunque genera non ſunt alia nihilo magis ſubſtantia quam alia eſt} Cum ſubſtantiarum in profundum hoc eſt ab indiuiduis ad ſpeciem, ab hac ad genus diuiſionem confecerit, primamque alteram eſſe pronunciauerit, alteram ſecundam, ſecundæ autem unam magis ſubſtantiam eſſe, alteram minus, nunc diuiſionem earum in latum a collationem facit, ſpeciei inquam ad ſpeciem, & indiuidui ad indiuiduum. beneque dixit quæcunque genera non ſunt, ne ſubalternas ſpecies ac ſpecialiſsimas, ut animal hominemque conferres. ſed comparare illas inquit oportere quæ eadem a generibus aut indiuiduis diſtant abſentia, ut hominem & equum, uel bouem. harum enim alia inquit nihilo magis ſubſtantia quam alia eſt: eæque perinde abſunt a genere. nam poſt animal protinus brutum ac rationale ſtatutum animal eſt. poſt quæ equus ſi forte contingat, & homo, atque bos. ut enim
I de equo prædicatur animal, ita de homine quoque ac boue. ſimiliter planta de uite & olea, quod genus earum proximum eſt, uti quoque animal equi aliorumque. proinde ex ijs omnibus aliam alia nihilo magis ſubſtantiam eſſe. nam et proximum eorum genus ab ipſis æqualiter diſtat, ſtatimque poſt ipſa indiuidua conſtitutum eſt. Verum nec indiuiduorum inquit aliud alio magis ſubſtantia eſt. ſimiliter namq; omnia ſpeciebus ſuis generibusque ad prædicationem, & accidentibus ad inhærentiam ſubſtrata ſunt. quam enim uniuerſalis homo ad aliquem hominem habet rationem, eandem uniuerſalis equus ad equum quempiam obtinet. nam quemadmodum prædicans de Socrate hominem, nihil prædicare familiarius potes, ita nec de Xantho equum, aut canem de Argo. Atq; uel hinc proditur Ariſtoteles ad cognitionem uulgi præceptionem cōficere. nihilo enim magis indiuiduum indiuiduo primam eſſe ſubſtantiam affirmat: ſed formicam hanc uerbi gratia & hanc ſtellam pariter eſſe ſubſtantias. hominum enim multitudo perinde eſſe horum quodlibet nouit. ob id ipſe quoque ſimiliter uulgi ſententiam ſecutus hæc ſubſtantias appellauit {Ipſarum autem ſpecierum quæcunque genera non ſunt} Hoc eſt quæcunque iuxta indiuidua ſunt, & ſpecialiſsimæ: quandoquidem & auis ſpecies eſt. K {Iure igitur poſt primas ſubſtantias ſolæ aliorum ſpecies ſolaque genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur} Nunc cauſam exponit ob quam genera & ſpecies ſecundæ ſubſtantiæ nuncupentur: tertius uero non item ſubſtantias ipſa accidentia nominet. Hoc autem rurſus duplici aſſerit ratione. altera a propinquitate ad primas ſubſtantias, altera a proportione. atque ab ipſa quidem propinquitate, quod primis explicandis ſubſtantijs, proprie per ſolum genus aut ſpeciem ſolam exponemus. nam ſi Socratem hominem eſſe aut animal dixerimus, familiariter ac notius aſſignabimus: ſin album eſſe, uel currere, aut huiuſmodi quidquam pronunciauerimus, alienę atq; ignobiliter explicabimus. Iure igitur genera ſpecieſq; ſecundas ſubſtantias dicimus, quaſi ſola primas ſubſtantias deſignent. accidentia uero haud prorſus uocamus ſubſtantias, ut quæ ſubſtantiam primam non declarent {Primæ item ſubſtantiæ quod alijs ſubiectæ ſint omnibus, potiſsimum ſubſtantiæ nuncupantur} Secundum hoc argumentum eſt, idque a proportione repetitum. Sciendum eſt primas ſubſtantias ob id primas uocari quod et accidentibus indiuiduis ad exiſtentiam ſuppoſitæ ſint, & uniuerſalibus ſubſtantijs ad prædicationem. utque primæ ſubſtantiæ ad par
L ticularia ſeſe accidentia, atq; uniuerſales habent ſubſtantias (ſubiacent enim ad exiſtendum illis, his ad prædicationem) ita ſecundas quoque ſubſtantias accidentibus quæ in nouem genera in uniuerſum conſiderantur, ſubiectas eſſe. hoc enim eſt quod alijs omnibus dixit, hoc eſt uniuerſalibus ſubſtantijs, uniuerſalibuſque accidentibus. Ac denique ita ſe habent ſpecies ad genera, ut indiuidua ad ſpecies. ſunt namq; ipſis ad prædicationem ſubditæ. ait enim quemadmodum omnibus præter eas exiſtentibus ſubiectæ primæ ſubſtantiæ ſunt, ita & accidentibus ſecundæ. nam ut Socratem dicimus philoſophum, ſic & philoſophum hominem, & animal philoſophum appellamus. Quamobrem ſubiacent & ſecundæ accidentibus ſubſtantiæ, & de ijs accidentia prædicantur. ſed de indiuiduis quidem in primis, ut Porphyrius quoque inquit. ratione uero ſecundaria, & de generibus, & de ſpeciebus. at ſubſtantijs nunquam ſubiacent accidentia. Eſt enim non ignorandū ex ijs quæ prædicantur aliquæ, ſecundū naturam, alia præter naturam, nonnulla per accidens prædicari. Dicuntur ſecundum naturam accidentia de ſubſtantijs, ut Socrates eſt philoſophus, aut caluus, aut ſimus, uel id genus quidpiam. naturaliter enim ſubiecta eſſe accidentibus ſubſtantia conſueuit, accidentia autem de ea prædicari. Sed & uniuerſalia lege naturæ de particularibus dicuntur, ut de Socrate animal. etenim particularia ſubeſſe uniuerſalibus natura ſunt apta. Prædicatio præter naturam ea eſt quæ contrarium efficit, atq; de accidente ſubſtantiam prædicat, uti ea quæ dicit hoc philoſophum eſt Socrates, & ſiquid huiuſmodi. non enim ea natura conſtant accidētia, ut ſubſtrata ſubſtantijs ſint. & ea item quæ prædicat de uniuerſali particulare, ut quæ dicit hic homo eſt Socrates: uel color eſt album. Per accidens uero prædicatio eſt, quæ accidens de accidente, aliud de alio prædicat, genere inquam diuerſum de eo quod diuerſi generis eſt: ut ea quæ philoſophum quod eſt in Socrate de ſimo quod eidem ineſt, aut caluo prædicat, aut econtra. dicitque ſi forte eueniat hoc ſimum caluum eſſe, uel hoc caluum philoſophum, & ſiquid eſt tale. Enimuero per accidens dicitur, quoniam cum plura circa idem ſubiectum inuenta diuerſi generis ſint accidentia, nec de ſe inuicem prædicari natura idonea, aliud de alio dicitur: quod ſubiecto inhæreant, non quod mutua ſint cognatione coniuncta. non enim ut ſimum caluo ſubiectum ſit comparauit natura. utrumque enim ſub genere diuerſo,

alterum

A alterum ſub quanto, alterum ſub quali cenſetur. Prædicationem autem id genus præter naturam non dicimus, quoniam plane accidens de accidente natura prædicari poteſt: natura poteſt autem uniuerſalius de magis particulari. Iure itaque accidentia tertiæ ſubſtantiæ haud quaquam uocata ſunt, quaſi non cuiquam ad exiſtendum ſubiaceant. ſed & cum de accidente prædicatur ſubſtantia, huiuſmodi præter naturam ſit prædicatio.

14 Commune autem omni ſubſtantiæ eſt in ſubiecto non eſſe. Prima namque ſubſtantia nec in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto aliquo dicitur. Secundarum uero ſubſtantiarum conſtat quidem etiam ſic, quod nulla eſt in ſubiecto. Homo enim de ſubiecto quidem quodam homine dicitur: in ſubiecto uero non eſt. neque enim in quodam homine homo eſt. ſimiliter autem & animal de ſubiecto quidem dicitur quodam homine, non etiam eſt animal in quodam homine. Amplius. Eorum quæ in ſubiecto ſunt nomen quidem de ſubie-
B cto aliquando nihil prohibet prædicari, rationem uero impoſsibile eſt: ſecundarum uero ſubſtantiarum de ſubiecto & ratio prædicatur, & nomen. rationem enim hominis de quodam homine prædicabis, & animalis ſimiliter. quare non erit eorum ſubſtantia quæ ſunt in ſubiecto. Non eſt autem proprium ſubſtantiæ hoc: ſed & differentia eorum eſt quæ non ſunt in ſubiecto. bipes enim & greſsibile de ſubiecto quidem quodam homine dicitur, in ſubiecto uero non eſt. neque enim in homine eſt bipes, neque greſsibile. ratio quoque differentiæ de illo prædicatur de quocunque ipſa differentia dicitur: uelut ſi greſsibile de homine prædicatur, & ratio greſsibilis de homine prædicabitur. eſt enim homo greſsibilis.

Commune de omni ſubſtantia eſt non eſſe in ſubiecto} Finitionem depromere uult, uerum quoniam generaliſsimum eſt genus
C ſubſtantia, reddere eius finitionem propterea nequit quoniam ex generibus finitiones ac differentijs eruuntur. at ſimplicis genus ſubſtantiæ reperias non licet, quod genus ea uti diximus generaliſsimum ſit. Itaq; ob eam rem ipſius proprium aſſignat. eſt enim id finitioni ſimile. Nam finitio ut ſoli & omni cuius finitio eſt competit, atque ad finibile commeat, ſic proprium quoque uni ineſt atque omni cuius eſt proprium, ac inter ſeſe reciprocant. Hac igitur de cauſa proprium uult ſubſtantiæ prodere. Cæterum nō quæ ipſe probet protinus tradit propria, ſed quæ propria eſſe ſuſpicatus: aliquis fueritne hæc propria quoque eſſe ſubſtantiæ cuiquam dicere in poſterum liceat. Proprium autem cum depromere uoluerit, detulit commune. ait enim commune de omni ſubſtantia eſt non eſſe in ſubiecto. Quid ergo dicemus? nimirum duo quædam proprio ineſſe plane oportere, quæ ſunt ſoli illi, omnique competere cuius eſt proprium. Ergo per id quod commune eſt dixit, id eſſe in omni ſignificauit ſubſtantia. proprium enim & ſoli illi rei ineſſe & omni oportet cuius eſt proprium, ut riſibile ſoli homini omnique ſuppetit. Commune igitur inquit eſt omni ſubſtantiæ non eſſe in ſubiecto. Quodque non ſit in ſubiecto prima ſubſtantia, ne probatione dignum quidem arbitratur, cum ſit id ex euidētia ma- D niſeſtum. nam ipſum eſſe non habet in alio Socrates. Probat autem non eſſe in ſubiecto & ſubſtantias ſecundas: idq; ſyllogiſmo utens huiuſmodi in ſecunda figura. Secundæ ſubſtantiæ nomen finitionemque ſubiecto diſtribuunt. Quæ in ſubiecto ſunt, ea neque nomen, neque finitionem, aut ſolum nomen tradunt ſubiecto. Ergo ſubſtantiæ ſecundæ non ſunt in ſubiecto {Porro non eſt hoc ſubſtantiæ proprium: ſed differentia quoque ex ijs eſt quæ non ſunt in ſubiecto} Promulgatum ſubſtantiæ proprium eiicit, ut quod non Dubium. ſoli huic inſit, ſed etiam differentijs: Porro ex hoc tum ſeiungere a ſubſtantijs differentias, tam connectere eas ſubſtantijs uidetur. nam cum ait non proprium id ſubſtantiæ, ſed differentiarum quoque eſſe, diſcernere eas uidetur a ſubſtantijs. per id uerō rurſus quod differentias de ſubiecto dici ait, in ſubiecto autem non item, ſubſtantijs eas coniungit. nam ea inquit quæ in ſubiecto non ſunt, ijs tum nomen, tum finitionem impertiunt de quibus de ſubiecto dicuntur. tales enim inquit ſunt & differentiæ. nam pedeſtre, & bipes, & rationale, non nomen ſolum homini elargiuntur (pedeſtre enim animal homo dicitur, & rationale, & bipes) ſed finitionem quoque, quocunque modo quis horum cuiuslibet rationem explicuerit. uerbi gratia ſunt in homine pedeſtre & bipes, ſed non ut E accidentia: quoniam & nomine & ratione prædicantur de homine. hominem enim pedeſtrem uocabis. dices & rationem pedeſtris, id eſt quod ſuper terram pedibus graditur. id uero propriū eorū eſt quæ eſſentialiter de prima prædicantur ſubſtātia. Quamobrem differentias rurſum ſubſtantias eſſe uult ex ijs uerbis. Quidam igitur ad hoc tres eſſe ſpecies aiunt differentiarum. quarum aliæ magis ſubſtantiæ ſunt quam accidentia: quædam magis accidentia quam ſubſtantiæ: nonnullæ medio quodam adeo ſe modo habent ut ſit incompertum utrum accidentia magis ipſas an ſubſtantias dicamus. exempli cauſa magis ſubſtantiæ quam accidētia ſunt rationale, brutum, et quæ ſunt id genus. magis quidem ſubſtantiæ, quod ſubiectarum ſint ſpecierum completiuæ: accidentia uero, quod in quale quidquam ſit prædicentur, quemadmodum & accidentia. at accidentia magis quam ſubſtantiæ, album in olore & Scytha: & nigrum item in coruo & Aethiope. ab Aethiope enim Scytha hoc differt, albo & nigro. accidens quidem quod abſque ſubiecti fiat corruptione ac defiat. pennis enim corui detractis nihilominus coruus erit. & Scytham ſi denigratū mente conceperis, nihilominus & homo erit & Scytha. Rurſus quæ huiuſmodi ſunt, ſubſtantiæ quodam pacto eſſe uidentur: quoniam adeſt F omni coruorum Aethiopumque ſpecieі nigrum. ſimiliter & album oloribus ac Scythis. Medio uero quodāſe habent modo quæ ſunt in elementis qualitates, ut calidum & ſiccum in igne: frigidum uel humidum in aqua. Cæterum quo planiora nobis fiant quæ de his, differentijs inquam quæ ſunt elementis inſitæ dicuntur, ſermonem paulo altius repetamus. Primam materiam aiunt philoſophi incorpoream eſſe propria ratione, figuraq; carentē, ac magnitudine, atque ab omni qualitate abiunctam. Quod enim informis ſit, ex eo plane oſtenditur, quod omnium ipſa naturalium ſit capax formarum. quemadmodum enim ligna domeſtico inſtrumento materiæ rationem adhibentia forma omni priuata ſunt quæ in eo ſpectatur (nam neque ſedilis formam habet, neque abaci, neque alterius id genus ullius) ſic materia quoque cum fundamentum quoddam ac omnium quæ in corporibus conſiderantur formarum ſit conceptaculum, ne unam quidem propriam formam obtinebit. Hæc igitur ſecundum tres dimenſiones in molem exacta ſubiectum ſecundum hoc eſt corpus exquale ſeu qualitatis expers ex

G Hinc patet dari tres dimēsiones coeternas primæ materiæ

Aristotelis fuerit sententia. Quandoquidem enim per se subsistere qualitates haudquaquam ualebant (nam ipsum esse qualitas omnis habet in corpore) corporis eguere, quod, ut in ipso existerent, propria ratione qualitate uacaret. Huic igitur parte quadā sicca & calida accedens qualitas ignem efficit. Frigida & humida aquam. rursus sicca & frigida terram. aerem autem calida & humida. non quod actu uel incorporea materia, uel corpus exquale aliquando fuerit: sed id dicimus rectum generandarum rerum ordinem contemplantes, diuidentesque hæc cogitatione, quæ natura separari non possunt. Quæ ergo superueniunt qualitates corpori, secundo inquam subiecto, quatenus ipsi qualitate carenti aduenere, sunt accidentia. substantiæ autem quatenus ignis, aquæ, elementorumque reliquorum sunt completiuæ. calida enim & sicca igni uelut corpori qualitas superindita est, ut autem igni, non hæc etiam superuenire dicuntur, sed huius magis complere substantiam. Quamobrem mediæ hæ quodam pacto se habent, nihilo magis substantiæ quam accidentia. nam corpori quidem simpliciter, quod trina inquam dimensione constat, cōtigere: insunt autem substantialiter elementis, cum completiuæ eorum substantiæ sint.

H Quoniam igitur inquiunt non una species ut ostensum est habetur differentiarum, Aristoteles cum quasi ad totam differentiarum respexerit latitudinem, de differentijs neque ut substantijs absolute, neque ut accidentibus enunciat. Nos ergo quid ad hæc dicimus? nempe hos ingeniose quidem fuisse, cæterum non uere omnino commentos. nam si differentias esse Aristotcles inter substantias et accidentia uolebat, faciendum ei prædicamentum erat undecimum, quod inter substantiam atq; accidens medium esset, quo differentias referret. quod si præter decem aliud non est, horumq; unum substantia, cætera autem omnia sunt accidentia, nihilque interiacet, entia omnia uel substantiæ, uel accidentia sint necesse est, ac nihil medium intercurrat. Quod autem substantiæ dubio procul sint differentiæ ipsæ, compertum inde est, quod completiuæ specierum sint eæ, ac de ipsis substantialiter prædicentur. nam si complent substantias, substantiæ quoque uidelicet sunt. non enim substantiam complent accidentia. Quod autem substantias esse eas, uel ipsi Aristoteli uideatur, apertum est ex eo quoque quod inferius partes eas uult esse substantiarum cum ait, Ne uero turbent
,, nos partes substantiarum. & rursus. Competit autem substantijs
,, ac differentijs uniuoce ab ijs dici omnia. declaratur id etiam ex
I Porphyrij uerbis. nam de ijs ut placet Peripateticis differens ille, Differentia est inquit qua species est amplior genere. propria autem parte omnino est amplior. ergo pars quoque substantia est, si quidem & species. Quamobrem & Aristoteles tum ex suis uerbis, tum ex ijs quæ Porphyrio ex Aristotelis sententia prodita sunt, ipsas differentias uult esse substantias. Quoniam igitur pacto inquit, Proprium autem hoc substantiæ non est, sed differētiarum quoque? quasi diuersæ a substantia palam sint differentiæ. Itaque censemus, quemadmodum in unitate & puncto & instanti diximus, hæc sub nullum prædicamentum redacta propterea esse Aristoteli, quod pluribus cognita non essent hominibus. etenim recipere illa quoque sub quantum licebat dicenti quanti hoc tribui quidem in partes posse, hoc uero non posse. atque id quod tribui potest, altera parte continuum esse, altera discretum, nec sunt quatenus sunt hoc loco disputat, sed quatenus de ipsis uulgo sunt tamen recepta: quoniam, ut sæpe diximus, non de ijs: quæ hominibus uidetur. sic in præsentia quoque substantias eum quidem esse ipsas nouisse differentias, cæterum eas sub prædicamentum non referre substantiæ, quod hominum nota non sint multitudini. Quod siquis dicat, atqui multis in propatulo sunt differentiæ. hominem enim rationalem ac mortalem esse aiunt. Respondemus non de differentijs ceu de simplicibus, ut de ipsa per se rationabilitate, aut irrationabilitate notionem ijs, sed quasi de compositis haberi. rationale enim animal totum, ut unum quidpiam norunt, & brutum similiter. Porro & superius dicebamus cum substantia partim simplex, partim composita sit: ac simplex quædam sit præstantior corpore, quædam deterior, de sola composita disputare philosophum, quæ in generibus & speciebus indiuiduisque spectatur. Nimirum igitur conferens inter se substantias sola genera ac species assumpsit, & uero etiam indiuidua: quandoquidem ipsi & de solis his docere consilium est. differentiarum autem ne mentionem quidem fecit, quoniam simplices hæ sunt. Hanc igitur ob causam dixit Aristoteles non esse hoc substantiæ proprium. cæterum non simpliciter omnis dixit, uerum composita. nam non esse in subiecto non solum compositæ, sed simplici quoque hoc est differentijs cōpetit. Cum uero superius nobis quadripartita entium tradita diuisio sit, quærendum sub quod diuisionis segmentum redigere oporteat differentias. dicimus itaque si quæ præ multis sunt differentias ceperimus, has sub primo segmento quod est de subiecto & non in subiecto statuendas: sunt namq; hæ uniuersales substantiæ. si eas quæ in multis, primum quidem ne differentias quidem has dici arbitramur. uti neque genus, id quod in ipsis est animal. genus enim si id est quod de pluribus & specie differentibus in quid est prædicatur, animal autem quod in Socrate est non dicitur de pluribus, utique genus nequaquam fuerit. & uero species similiter quæ est in indiuiduo species dici non poterit, cū species de pluribus & differentibus numero in quid est prædicetur. sic & rationale in Socrate nemo proprie loquendo differentiam dixerit. de pluribus enim differentia & specie differentibus in quale est prædicatur. at rationale in indiuiduo de eo prædicatur solo. non erit igitur differentia. Sed hæc partes esse dicimus indiuiduorum. ut enim specierum partes sunt genus & differentia, sic quod in indiuiduo est animal & rationale partes sunt indiuidui. quo circa nec sub definitionem cadunt, utpote indiuidua. Asserit enim in libro de demonstratione Aristoteles, indiuiduorum nec finitionem, nec demonstrationem esse. si enim ex generibus differentijsq; constat finitio, in indiuiduis autem nec genus est, nec differentia, dubium nemini est, nec eorum haberi finitionem. at si finitio non est, utique nec demonstratio: si quidem ex finitionibus demonstrationes consistunt. quod siquis differentias quoque eas uocari dignum arbitretur, nō absolute differētias, sed ut in indiuiduo differentias nominabimus, quibus differt hic homo ab hoc equo & hoc angelo. Iccirco sub quartum eas recipiemus segmentum, quod neque de subiecto est, neque in subiecto. quandoquidem & completiuæ indiuidui substantiæ sunt & particulares. de nullo enim prædicantur subiecto.

K

L

Pro intellectu horū uidete, quæ dixit supra Ammonius. 38. b.

M

25 Nam conturbent autem nos substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint: ne forte cogamur eas non esse substantias confiteri. Non enim ita ea quæ sunt in subiecto dicebantur quasi ut partes inessent alicui.

Ne uero nos turbent substantiarum partes, ut quæ totis in subiecto sint, ne substantias non esse eas fateri aliquando cogamur} Quod iniecturum Aristoteli scrupulum erat id præueniēs ipse in quæstionem deduxit & soluit. addubitasset enim quispiam, quoniam sunt in aliquo substantiarum partes (sunt enim in substantijs)

in aliquo

A in aliquo uero & accidentia sunt, partes ergo substantiarum sunt accidentia, quod est absurdum. hoc igitur soluens, traditum est inquit quomodo accidens in aliquo dixerimus. non enim quod uelut subiecti pars esset proditum est. sed ut quod sine eo constare non posset. differentiæ autem usum toti præbent, ac completiuæ subiecti sunt, ipsumque constituunt. quapropter tametsi in eo conueniant quod in aliquo sint, est quoddam tamen in ipsis discrimen, quatenus hæ complent subiectum, suntque ab eo inseparabiles. illa uero nec complent, nec simul perpetuo sunt. Quidam uero interpretes hanc uerborum seriem ei censent præponēdam quæ de differentijs inquit, Porro non est id substantiæ proprium: sed & differentia ex ijs est quæ non sunt in subiecto. oportebat enim aiunt cum per hæc substantiæ partem nullam in subiecto esse demōtrasset, substantiæ autem sit & differentia, ita subiungere, non proprium esse substantiæ non esse in subiecto: quandoquidem est & differentiæ. An uero & ordo hic recte se habet. cum enim neque species, neque genera, neque differētias quæ partes substantiarum sunt in subiecto esse ostenderit, inferendus uniuersalis quidam sermo erat, ne partem omnino quidem in subiecto aliam quampiam esse substantiæ. Videtur autem ei sermo esse non de partibus manu inquam & capite & pede, sed de intelligibilibus uereque partibus, ut rationali & mortali. hæc enim partes proprie hominis
B sunt: si quidem ex ijs homo consistit. ergo de intelligibilibus loquitur rationali atque mortali, sunt enim aliæ partes sensibiles, intelligibiles aliæ. nunc uero de intelligibilibus disputat. sic enim ordo speculaminis huius opportunitatem habet. quoniā enim non proprium substantiæ est dixit non esse in subiecto, quandoquidem & differentiæ ex eorum numero habentur quæ in subiecto non sunt, nequis perinde hoc ipsum dixisse putaret quasi differentiæ substantiæ non essent, quæ proprie substantiæ sunt, ob id subiunxit, Ne uero nos turbent substantiarum partes, ut quæ totis in subiecto sint. alioqui intempestiue hoc interiectum speculamen uideretur, nisi de intelligibilibus eum partibus loqui, rationali mortalique accepe-
rimus, quæ proprie sunt partes hominis: siquidem homo ex ijs constat { Non enim ita in subiecto ea dicebantur quæ ut partes sunt in aliquo } Id est accidentia etsi in aliquo esse, non tamen ut pars in toto dicebantur. nam si quidquid est in aliquo id in subiecto necessario esset, partes quoq; substātiarum cum sint in aliquo (sunt enim in toto) in subiecto haberentur. nunc uero esse in aliquo
C uniuersalius cum sit, aliquod est ut in subiecto, quoddam ut pars in toto, aliud uero secundum alium in aliquo existendi modum.

26 Inest autem substantijs & differentijs omnia uniuoce prædicari. Omnia enim quæ ab his prædicata sumuntur, aut de indiuiduis prædicantur, aut de speciebus. A prima nanque substantia nulla est prædicatio: de nullo enim subiecto dicitur. Secundarum uero substantiarum species quidem de indiuiduo prædicatur: genus uero & de speciebus & de indiuiduis. Similiter autem & differentiæ, & de speciebus & de indiuiduis prædicantur. Et rationem quoque suscipiunt primæ substantiæ, specierum & generum: & species generis. quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & de subiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarum suscipiunt & species & indiuidua. Vniuoca autem sunt quorū & nomen commune est, & ratio eadem. Quare omnia quæ a substantijs & differentijs sunt, uniuoce prædicantur.

D

Competit autem substantijs & differentijs uniuoce ab ijs dici omnia} Ad secundum consequens transit substantiæ priore improbato, & uero nunc peculiare proprium quærit substantiæ: sed & hoc statim damnauit. idque ex eo liquet quod different. as continuxit: ut non soli competere substantiæ pateat. Ac prius quidem eiectum est, quasi omni substantiæ, non soli autem insit. hoc uero, quasi nec soli, nec omni conueniat. Neque enim competit primænam ea de quibus prædicetur non habet. neque soli, quoniam & differentijs {Omnes enim ab his prædicationes aut de indiuiduis, aut de speciebus prædicantur} Docet primum quæ nam a substantijs & differentijs prædicationem admittant. tum sic uniuocam in ipsis accommodat prædicationem. indiuidua enim inquit de nullo dicuntur subiecto. species de indiuiduis. genera de utrisque. eodem modo & differentiæ de speciebus atque indiuiduis. hæc autem & uniuoce de quibus prædicantur dicuntur. nam Socrates & homo est, & animal rationale mortale. est animal quoque & substantia animata, & sensus compos. Sed & differentiarum nomen rationemque accipit. dicitur enim rationale, eiusque finitio- E
nem excipit. rationale enim est id quod utitur ratione. nam & Socrates hanc rationem admittit. Et uero de specie similiter & genus & differentia prædicatur uniuoce. hoc uero etiam late patet, quæcunq; uniuoce de prædicato dicuntur ea de subiecto quoque prædicatum iri. Iure igitur genus differentiaque cum de speciebus prædicentur uniuoce, de indiuiduis quoq;, de quibus & species, prædicantur. species autem de solis indiuiduis. indiuidua de nullo: quoniam nec subiectum eis ullum est. Contemplare hic porro quomodo utilis ei de uniuocis præceptio fuerit. id quod uel ipse aperiens inquit, Erant autem uniuoca ea quorum & nomen com
mune est & ratio eadem. Hinc uero etiam considera quam aper- 27
te differentias substantias esse pronunciet. Si enim quæ sunt in subiecto, uel solum tribuunt nomen, uel neque nomen, neque finitionem: uniuoce autem differentiæ de speciebus prædicantur atque indiuiduis, ipsæ ergo differentiæ substantiæ sunt, & non accidentia. competit enim ijs quæ substantialiter prædicantur & nomen & finitionem subiectis tribuere. Cuius igitur rei gratia cum superius discernere eas a substantijs uideatur, ijsdem deinceps coniungit? nempe ob eam causam quam sæpe recitauimus, quoniam F
hic ipsi inquam eo consilium spectat, ut non de omni substantia, sed de sola composita doceat, cuius & homines multi notitiam obtinent. Socratem enim multi non modo Socratem esse, uerum hominem quoque ipsum, & animal norunt. & uero hominis nomen in particularibus ferunt communiter omnibus. nomen quoque similiter animalis in hominibus & equis & reliquis animantibus. ipsius autem per se rationalitatis notionem non habent. sed quanuis dicant rationale, compositum dicunt. rationale enim animal, hoc totum cognoscunt. similiter quoque in bruto ac cæteris differentijs. Proinde igitur differentias ipsas non plane hoc loco substantias esse dicit, sed ipsas quidem uult esse substantias. ac suam ubique sententiam detegit. non eiusmodi uero substantias quales compositæ sunt, de quibus hic ei sermo est. Sic ergo & in physica cum triplicem substantiam prodiderit materiamque & formam & præterea quæ ex utraque simul & materia & forma consistit, hic compositum solum uocauit substantiam: non autem materiam, neque formam: quoniam nec de simplicibus ei sermo est institutus.

G Omnis autem ſubſtantia uidetur hoc aliquid ſigni
17 ficare. in primis igitur ſubſtantijs indubitabile & ue
rum eſt quod hoc aliquid ſignificant. indiuiduũ enim
& unum numero eſt quod ſignificatur. In ſecundis ue
ro ſubſtantijs uidetur quidem ſimiliter propter ap
pellationis figuram hoc aliquid ſignificare, quãdo quis
dixerit hominem uel animal, nõ tamen uerum eſt: ſed
magis quale aliquid ſignificant. neque enim unum eſt
quod ſubiectum eſt, quemadmodum prima ſubſtan
tia: ſed de multis homo dicitur, & animal. Non au
tem ſimpliciter quale quid ſignificat quemadmodum
album (nihil enim aliud ſignificat album quam qua
litatem) at ſpecies & genus circa ſubſtantiam quali
tatem determinant. qualem enim quandam ſubſtan
tiam ſignificant. Plus autem in genere determinatio
fit quam in ſpecie. dicens enim animal plus comple
H ctitur quam qui hominem dicit.

Omnis autem ſubſtantia ſignificare hoc aliquid uidetur} Cum prima duo repudiauerit conſequentia, quæ ſunt non eſſe in ſubiecto, et omnia uniuoce ab ijs dici, ad tertiũ proprium tranſiuit quod eſt hoc aliquid ſignificare. Igitur dictio hoc, ſubiectum ipſi denotat. ſignificatiuum enim eſt demonſtrationis. Sic ergo materiam ipſe ſubiectũ in Phyſica nominat. ambo enim finita ſunt, & ipſum hoc, quaſi ſub demonſtrationem cadens: & materia, ut quæ maneat eadem, omnibus quæ in ipſa ſunt uerſuram patientibus. ſiquidem transfigurari lebes poteſt & ſtatua fieri. et ſtatua rurſus figuram immutans aliud fieri quidpiam, ære id nihilominus manente quod prius erat quam lebes factus, aut ſtatua, aut quidquam eiuſmodi eſſet. itaq; & ipſum hoc & materiam ſubiecta appellat. Pronomen uero aliquid, non de ſubiecto ſubſtantiam nominat: quoniam permanet, nec quoquam eget, nec eſt in ſubiecto, ſed ipſa ſubiectum omnibus eſt, auctorq; unitatis, hoc eſt unum ſignificandi, ut hoc lignum, hic homo. Ipſum ergo aliquid, particulare indicat. ambo autem, cum dicuntur hoc aliquid, particulare ſubiectum, in diuiduam inquam ſubſtantiam declarant, ut hunc hominẽ, aut hoc lignum. in his enim ipſum hoc ſemper fert Ariſtoteles, in indiuiduis inquã quæ apparent ac ſenſibus percipiuntur: quippe hæc ea ſunt quæ ſola recipiunt indicationẽ, quæq; ſunt ſubiecta duntaxat oĩbus. dictionẽ aũt tale in infinito et uniuerſali uſurpat. iure nanq; uniuerſale omniũ ſimpliciter rationẽ obtinet. At Plato hoc aliquid in uniuerſali tãquam finitũ uelut in Ideis neceſſario capiebat. eas enim in primaria eſſentia, ac ſubſtantias eſſe affirmabat. quale autẽ in ſingulari. nam infinita hæc uocabat propterea, quod in ſtatu non eſſent, ſed ipſum eſſe in fluxu ac refluxu haberent. recte igitur ambo allo atq; alio propoſito capiẽtes dixere. Porro & hoc proprium reijcit, quaſi non omnem ſubſtantiam quamuis ſolam comitetur. nam ſpecies inquit & genera, ut homo et animal, hoc quidem aliquid ob ſingularẽ uocis effigiem ſignificare uidentur: cæterum multitudinem magis contentricemq; aliquorũ plurium cõmunitatem ac qualitatem quandam referunt, cum cõmunitatem particularium ac collectũ declarent. Operæ autem precium eſt quærere, quomodo in ſubſtantia dicat ſignificare & non eſſe, ſi res eſt ſubſtantia. ſignificantur enim res nec ſignificant. Dicimuſq; quod uocis eſt de re quandoq;, & quod rei eſt de uoce ob mutuum prædi-

K cari complexũ. funguntur enim res uocum interim munere, ut non tanquam res ſignificent, ſed tali modo nominentur, ut Socrates ſi ipſum inquirentibus in multitudine ſpectetur. interdum uero quæ rei ſunt uoces obeunt, ut Socrates ambulat, non quod nomen Socrates ambulet. uox etenim eſt, uox autem non ambulat, ſed quod res quæ nomen eiuſmodi habet, illa ambulet. ſic ergo & hoc loco, propter uocis implicationem, ſubiectum prædicationem uocis accepit, quod eſt ſignificare. ac nunc præſertim, ubi de ſignificatiuis ſibi uocibus diſputandũ propoſuit Inſtitutum enim eſſe Ariſtoteli diximus, de uocibus, rebus, cõceptibuſq; explicare. Subſtantia igitur ut uox quidem, ſignificat, nec ſignificatur. ſunt enim ſignificatiuæ rerum uoces. ut res uero ſignificatur, nec ſignificat. nam ſignificantur quidem a uocibus res, ipſæ uero aliorum non ſunt ſignificatiuæ. Quemadmodum autem ipſa per ſe ſignificatiua rerũ nomina ſunt, ſi autem parti orationis cuiquam contingantur, ſignificantur magis ab ea quodam modo, ita uel hoc loco cum dixero Socrates, per Socratis nomen ſubſtantiam notaui. cum autem Socratem philoſophũ, uel Socrates ambulat pronunciauero, tunc per philoſophum, uel per ambulans ſignificatur magis quam ſignificet nomen. Cæterum & ad hoc animaduerſione opus eſt, in diuiduam L Ariſtoteli ſubſtantiam hoc aliquid, uniuerſalem tale appellari. Platoni contra, nec eos mutuo diſcrepare. utranq; enim hoc aliquid & tale nomines licet. nam hoc aliquid, finitũ: tale autem, infinitum declarat. Enimuero in utraq; & finitum eſt & infinitum. in indiuidua quidem finitum, ipſum numero unum: infinitũ autem, ipſum mutari adeo, ut ſecundum perpetui affectus dogma, Heraclitti inquam, ne uox quidem de ſeipſo remaneat, ut Socrates. habet enim eſſe ipſum in fluxu ac refluxu, perinde atq; res naturales aliæ. In ſubſtantia uero uniuerſali finitum eſt ipſum immutabile, ut uniuerſalis hominis, atq; animalis. infinitum, in multitudine errare atq; allabi. homo enim ſi dixero, ſum particulares omnes cõplexus {In ſecundis uero ſubſtantijs uidetur quidẽ ſimiliter figura appellationis hoc aliquid ſignificare} Pronunciatione quidem ſingulariter facta, hoc aliquid ſignificare uidentur, cum homo aut animal dixerimus. uerumtamen non hoc aliquid, ſed tale hoc eſt ſimilitudinem deſignant, qua homines quatenus homines ſunt ſimiles inter ſe habentur, & animalia quatenus animalia. magis ergo quale quidquam propterea indicat, quod plura uniuerſalis homo indiuidua complectatur {Non tamen uerum eſt} Quoniam ex eius rei ignorantia quod nõ omnis ſubſtantia hoc aliquid cõnotet, fiunt pa M ralogiſmi hoc eſt deceptoriæ ratiocinationes, qui a græcis utines id eſt nõ aliqui nominantur: iuxta Homeri cũ Vlyſſem, qui Vtin ſeipſum opportune appellauit. Vtinis paralogiſmi exemplũ. Siquis eſt Athenis, is non eſt Megaris. homo autem eſt Athenis. homo igitur nõ eſt Megaris. homo enim nõ eſt aliquis, neq; hoc aliquid ſignificat. Simile huic & illud eſt, quod ego ſum tu nõ es. ut enim uerbum aliquis indiuiduam ſubſtantiam declarat, ita & uerbum ego. Eſt ergo paralogiſmus in uerbo aliquis ſeu quis. nam uerbũ ſiquis alter uniuerſale eſſe cogit, quod falſum eſt: alter in particulari ipſum capit, & uerus tunc ſermo eſt. nam aliquis homo uerbi gratia Socrates aut particularis alius qui Athenis eſt, Megaris nõ eſt, ne ſit ipſe a ſeipſo diuulſus. ita ergo dicas oportet, Quiſquis eſt Athenis, is nõ eſt Megaris. Socrates Athenis eſt. Megaris igitur Socrates non eſt. Itaq; ob id non tamen uerũ eſt dixit: quoniã cum plura ſint ſingularia, genus & ſpecies eorum ſimilitudinem referunt {Non enim ſubiectum uelut prima ſubſtantia eſt unum} Quemadmodum uox, quæ ſingularis eſt figuræ, atq; eam ob rem de uno ferri uidetur ſubiecto. homo enim ſecunda ſubſtantia atque

animal

A animal dicitur, non homines animaliaq; { Non ſimpliciter autem quale quidquam ſignificat uelut albũ} Quale ipſum cõmunit, atq; ab æquiuocatione propter accidentia uindicat. eſt enim differẽtijs atq; accidentibus quale. qualitatem autem nõ dicit qualis eſt accidentis. neq; enim ſubiecto accedens illa neque ab eodem decedens quidquam confert aut nocet. genera autem & ſpecies illorũ quorum eſſe dicuntur, ac de quibuſcunq; prædicentur cõpletiua ſunt, atq; ut ipſe ait qualitatem circa ſubſtantiam determinant, hoc eſt talem aut talem ſubſtantiam determinant, atq; diſtinguunt, confuſamq; ipſam diſcernunt, ſinceramq; ſeruant eſſentialem cuiuſq; ſubſtantiæ qualitatem. Nam cum contineat ſubſtantia corpus & incorporeum, & hæc confuſa indiſcretaq; ſint, harum diuiſio ſpecierum, cuiuslibet qualitatem ſecreuit. Rurſus cum res plures ambiat corpus, animatum atq; inanime confuſa diſcriminat, ac cuiuſq; proprium definit. Similiter & plura complectente animato, huius ſpecies proprium ſingulis limitant. eodem & in cæteris modo. Animal enim & planta, quæ ſuorum ſubiectorum genera ſunt, ac ſub animato corpore conſtituta, ſubſtantialem ſpeciebus ſuis qualitatem ſuo ipſorum interuentu deceruunt. Ac quonam igitur pacto inquiunt prædicari genera & ſpecies in quid eſt dicebantur, nunc B uero Ariſtoteles quale ab ijs determinari circa ſubſtantiam affirmat? Dicimuſq; quatenus differentijs impertiuntur ſpecies quidem actu, genera autẽ ſiue poteſtate, ut placet peripateticis, ſiue actu ſecundum Platonicos, eatenus quale dici circa ſubſtantiam definire. in quale enim eſt prædicantur differentiæ. Quærendum uero eſt quomodo ſignificare ſubſtantiam dicat, quanquam ſignificatur ea magis, neq; ſignificat. Itaq; ad hoc reſpondemus, uti proditum eſt ſæpenumero diſputare de uocibus & rebus & conceptibus propoſitum Ariſtoteli eſſe. ſignificat ergo ceu uox nec ſignificatur ſubſtantia. ſignificatur autem ut res nec ſignificat. A uocibus enim ſignificantur res, ipſæ uero ſignificatiuæ non inter ſe ſunt. Nomina enim ut ipſa per ſe ſignificatiua ſunt rerum, orationis autem ſi cuipiam parti iungantur. ſignificantur magis ab ea quodammodo. perinde ergo & hoc loco cũ Socratem dixero, per nomen ſubſtantiam Socratis notaui. cum uero Socrates philoſophus uel Socrates ambulans, tunc ſignificatur nomen magis per philoſophum uel per ambulans quam ſignificet. & non ipſum, ſed magis aliud quidquam ſignificat. ſic ergo uel hic, ipſa per ſe res ſi capiatur ſubſtantiæ, nihil ſignificat: cum uero cõplicata uoci fuerit, tunc ab illa ſignificatur { Amplius autem genere quam ſpecie C determinationem facit. Nam qui animal dicit plus complectitur quam qui hominem dixerit} Hoc eſt, etſi ſubſtantia omnis ſecunda ſubſtantialem rerũ qualitatem decernit, genus tamẽ magis uniuerſaliorem cõmunicremq;, ſpecies particulariorẽ qualitatẽ diiudicat.

Ineſt autem ſubſtantijs nihil illis eſſe contrarium.
18 Primæ enim ſubſtantiæ quid erit contrarium, ut cuidam homini, uel cuidam animali? at uero nec homini nec animali aliquid eſt contrarium. Non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium, ſed etiam multorum aliorum, ut quantitati. bicubito enim uel tricubito, nihil eſt contrarium. at uero nec decem, nec alicui talium. Niſi forte quis multum pauco dicat eſſe contrarium, uel magnum paruo. Determinatorum uero quantorum nullum nulli eſt contrarium.

Competit ſubſtantijs nihil quoq; ipſis eſſe contrariũ} Ad quar tum tranſgreditur conſequens tertio quoque damnato, utpote ſoli uerum non omni competente. enimuero hoc eſt, nihil contrarium D eſſe ſubſtantiæ. ait enim quidnam contrarium eſt Socrati, aut alij cuiquam indiuiduo? Et uero nec ſecundæ. nam quid homini eſt aut mali contrarium? Verum ſiquis dixerit, quid igitur non aduerſatur ignis aquæ, & terra aeri? Dicimus repugnare ſibi hæc mutuo non qua ratione ſubſtantiæ ſunt, ſed qua affectæ ſunt qualitatibus. aquæ enim qualitati frigidæ atq; humidæ calida & ſicca oppoſita eſt ignis. non ipſæ ergo inter ſe pugnant ſubſtantiæ. nam hæc non per tota ſeipſa contraria ſunt, cum non materia & corpore, ſed ſolis obluctentur qualitatibus. Sciendum eſt rationabile irrationabili non eſſe contrarium. ſiue enim negatio rationabilis irrationabile ſit, negatio contrarium non eſt: ſiue poteſtatem affirmandi habeat quæ ſpeciem quandam a rationabili diuerſam declaret, ne ita quoq; contrariũ eſt rationabile irrationabili, cum in eſſe ipſum deducat atq; conſtituat. Sed neq; ſpecies alia contraria eſt ſpeciei, uerum contrarietates circa differentias & qualitates uiſuntur. Forſitan uero ſiquis diligenter exquirat, ne penes quidem qualitates obiectam eſſe igni aquam profitebimur. ſiduntenim circa idem ſubiectum contraria, atq; ita aduerſum ſeinuicem bellum ſuſcipiunt, utroq; ſtudente eorum ſubiecto potiri, & alterum expellente. Ignis ergo ſi caliditati frigiditatiq; alternis non ſubiacet, ne proprie quidem caliditati, ut in igne, oppoſitum quidquam eſſe cenſebimus, ſi oppoſita ut dicimus circa idem pugnant ſubiectum. Hoc uero etiam reprobat, perinde quaſi non uni ſubſtantiæ quamuis uniuerſæ competat. quanto enim nihil inquit contrarium, ut denario, uel bicubito. nam quid eſſe ijs poteſt contrarium? non enim quadricubitum contrarium bicubito corrumpunt namſe mutuo contraria. hic uero auctio bicubiti eſt quadricubitum { Niſi quis multum pauco uel magnum paruo dicat eſſe contrarium} Atqui ne hæc quidem cõtraria ſunt quanta. quoniam ex multis paruis magnum, & multum ex pluribus paucis conſtitit. atq; hæc paulopoſt non quanta eſſe, ſed ad aliquid oſtendet. Verũtamen etſi quis conceſſionẽ inquit dederit, ut quãta ſint, nihil tamen noſtra intererit. ſatis enim nobis eſt ad demonſtrandum non uni ſubſtantiæ nullum contrarium ineſſe, ſi quantis etiam definitis id cõpetat. Definita quanta ea nominant quæ circumſcriptam quibusdam finibus habent quantitatem, neq; relatione ad aliud dicuntur. paruum autem & magnũ, & multũ & paucum ſunt infinita.

Obiectio.

Hoc faciet Auer. 5. phyſico. cõ. 10.

Notabile.

Modus ſaluandi quod caliditati, ut E in igne nihil proprie opponuntur.

Videtur autem ſubſtantia non ſuſcipere magis & 19 F
minus. Dico autem, non quoniam ſubſtantia non eſt a ſubſtantia magis & minus ſubſtantia (hoc enim dictũ eſt quoniam eſt) ſed quoniã unaquæq; ſubſtantia hoc ipſum quod eſt, nõ dicitur magis et minus: ut ſi eſt eadem ſubſtantia, homo, non erit magis & minus homo, neq; ipſe ſeipſo, neq; alter altero. non enim eſt alter altero magis homo, ſicut eſt album alterũ altero magis & minus albũ: & bonum alterũ altero magis & minus bonũ. Sed et ipſum ſeipſo magis et minus dicitur: ut corpus cũ ſit album magis nunc album eſſe dicetur quam prius. & cum calidum ſit: magis & minus calidum dicitur. Subſtantia uero non dicitur magis neq; minus. nihil enim homo magis nunc homo quam prius dicitur, neq; aliorũ quicquam quecunq; ſubſtãtiæ ſunt. quapropter non recipiet ſubſtantia magis & minus.

G Videtur Porro substantia non accipere magis, & minus} Ad quintum consequens accessit, a substantia inquam non admitti magis & minus. Verbum autem uidetur non fingi hoc loco significat, sed quod persuadere non aliter queas quodque deponi non potest. Proprium uero hoc ex proxime antecedenti sequitur, ortumque ex illo obtinuit, substantiæ contrarium nihil esse dicente. fieri enim magis & minus in ys natura comparatum est in quibus & contrarietas, idque non simpliciter. non enim contraria quæcunque magis & minus accipiunt, sed quæ misceri inter se natura apta sunt. par enim & impar quanquam sunt contraria, magis tamen & minus nequaquam admittunt: quoniam nec misceri natura sunt idonea. neque enim est par magis par pari: neque impar impari magis impar. album autem albo magis esse album dicitur: quoniam nigro suapte misceri potest natura. dicitur enim id magis album quod a nigro longius distat: minus uero album quod plus cum nigro mistionis accepit. & uero ipsum quidquam seipso magis album dicitur. Aliquid enim cum album nunc sit, fit seipso albius, discreto quod in ipso immistum est nigro. similiter & in alijs. ergo si nec omnia magis minusque admittunt contraria, sed ea duntaxat quæ misceri natura ualent, multo minus ea quæ nullum quidem prorsus habent contrarium magis & minus recipient. Sciendum contraria ipsa fines esse, magis autem & minus uiam ad contraria. Ac contraria quidem uocat album & nigrum. magis uero & minus, mutationem ex albo in nigrum, uel ex nigro in album. quæ non tota simul fit, sed uia quadam per accessionem utitur, facta ex albo, uel nigro in alterum transformatione. Itaque contraria ubi sunt, ibi aduersia magis minusque sunt. & ubi non sunt contraria, neque magis & minus: ubi item magis minusque, ibi contraria, & ubi magis minusque non sunt, nec ibi contraria habentur. quatuor enim semper hæc inter se contingunt. uerum hæc ex Platonis sententia medio prædita dicuntur. neque enim semel natura a contrario in id quod plane contrarium est transilit, sed uia utitur quadam, fitque minus album, & minus adhuc, atque ita nigrum. Aristoteles uero non omnia inquit contraria medijs distincta esse ut Plato affirmabat. sed nouit etiam quæ medio careant: tametsi duo duntaxat, par & impar, & morbum sanitatemque. Quidam uero, & horum media esse arbitrantur. paris enim qui in duas æquales portiones diuiditur, & imparis qui in duos pares non secatur numeros, tres medij habentur, pariter par, qui usque ad unitatem æquali partitione dissecatur, ut numerus triginta duo, in sedecim, & octo, & quatuor, & duo, & unum. & impariter par, qui multis paribus acceptis sectionibus in numerum imparem desinit, ut quadraginta octo, in uiginti quatuor, & .xij. & vi. & in tria numerum imparem terminat. & pariter impar qui in duas quidem partes æquales disiungitur, cæterum eius segmenta protinus imparia sunt, ut decem & octo in .viiij. & .viiij. deductus. ac sunt quidem ut aiunt paris & imparis ij quos diximus medij: morbi uero ac sanitatis conualescentia. Si magis & minus non admittit substantia, quomodo in libro de generatione atque interitu minus calidum aerem dicit ut igni collatum? calidior est enim ignis aere. & aer quam aqua humidior. & aqua frigida magis quam terra. & terra igne siccior. hæ autem substantiæ sunt. Ac dici potest qualitates has rursus non ceu substantias magis ac minus suscepisse. quælibet enim in proprio subiecto plurima est, ut accidentia uero intendi ac remitti. nam quod minus est si in id quod est magis euadat, non speciem aboleuit. aer autem acceptis igneæ caliditatis mensuris aer non mansit. Illud uero tenendum est, non esse in solis accidentibus magis & minus cum demutationem speciei non faciunt. uiuit enim magis mens quam anima. Enimuero non omnino fit magis & minus ob contrarij mistionem. tametsi nanque immortalis anima est, minus tamen uiuit quam mens. Composita quoque essent hoc pacto elementa. erit enim humidus ignis, utpote minus siccus quam terra, & aqua sicca, quasi in humilitate aeri cedat. atque in alijs similiter elementis. sed hæc speciem obtinuere. Quamobrem minoris id genus rationes, remissiones magis sunt de generationesue formarum. Sicut & luna quæ cum quintæ sit essentiæ ultima, quanuis sub seipsa contentorum particeps non sit, habet tamen quidquam in se forma diuersum, ut facies ea declarat quæ in ipsius medio plenilunijs apparet. & color qui in eius deliquijs carbonis specie cernitur, qui dissimilaris est. horum enim neutrum terræ mistione, sed quintæ essentiæ luciditatis remissione prouenit {Dico autem non substantiam substantia nõ esse magis minusque substantiam} Quoniam enim superius primam secunda magis esse substantiam dixit (est enim inquit substantia quæ potissimum, & primo & maxime dicitur) & ipsius secundæ speciem magis genere esse substantiam, cum ait secundarum uero substantiarum magis substantiam esse speciem quam genus, merito in quæstionem uocat, quomodo cum substantiam substantia magis esse substantiam supra cõmemorauerit, nunc dicat, uidetur autem substantia non admittere magis & minus. Cui solutionem inferens inquit. non dictum eodem esse modo magis quidem & minus esse illic, hic uero non esse. ibi enim substantiarum collationem ordinemque secundum profunditatem contemplando, primam secunda magis substantiam esse pronunciabat, quasi hominum magis pluralitati cognita esset. & secundæ speciem magis, quod primæ species sit quam genus propinquior. hic uero secundum latitudinem collationem faciens, indiuiduum inquit neque ipsum seipso, neque aliud alio magis esse minusque substantiam. Socratem enim neque ipsum seipso magis & minus quis hominem dixerit, neque Socratem Platone magis hominem. Sed neque species, uel ipsa sese, uel alia quam alia magis substantia est, ut homine equus nihilo est magis substantia. eodem pacto & in generibus. Enim uero proprium hoc seu consequens omni quidem, non soli tamen competit substantiæ. etenim non admittit quantum magis minusque, quoniam nec quodpiam habet contrarium. Sed neque par, neque impar, quoniam ne misceri quidem hæc suapte possunt natura. Quamobrem uero quemadmodum in proprijs alijs ad finem aiebat non est autem hoc substantiæ proprium, quandoquidem licet omni uerbi gratia insit, non soli tamen, aut soli quidem, sed non omni, non perinde & hoc loco fecit, dixitque non proprium hoc esse substantiæ quanuis omni conueniat, siquidem quantum magis minusque non suscipit. Dicimus, hoc propterea quod ex dictis pateret omisisse. quoniam enim coniuncta. ut dixi sunt consequentia, planeque id quod est non esse aliquid magis & minus, ex eo quod est non habere contrarium sequitur, paulo uero prius, nec substantiæ, nec quanto aliquod inesse contrarium ostendit, id nobis colligendum ac subaudiendum reliquit, nempe non solius esse substantiæ magis ac minus non admittere, sed etiam quanti.

Aduerte circa hoc et diligẽter cõsidera num sit uerũ nam in cœlo reperiuntur magis et minus ut patet ex Auer. 2. cœli cõm. 15. ex sentẽtia Alex. & tñ ibi nõ sũt cõtraria immo idem constat ex dictis Ammonij paulo infra. Dubium.

Circa hæc sollicitũ esse oportet ne cogamur fateri qd' uni

K est substãtia alteri esse accidens cõtra Arist. 1. physico. 27. & 30.

Quiã permẽtem intelligi põt. uide te Simpli. 2. physi. char. 49. a fronte col. 1. ubi pmentẽ uidetur audiri intellectũ quo terminos cognoscimus, quare ꝑ ani

L mam hoc in loco actionẽ intellectus cum imaginatione iunctã intelligere possumus.

M

20

Maxime uero proprium substantiæ esse uidetur, quod unum, & idem numero est, contrariorum susceptiuum esse: ut in alijs quidem non habet quisquã quod proferat tale, quæcunque non sunt substantiæ: quod

cum

A cum sit unum numero susceptibile contrariorum sit: uelut color, qui est unus & idem numero, non dicitur albus & niger. neque eadem actio & una numero, praua & studiosa. similiter autem & in alijs quæcunque non sunt substantiæ. Substantia uero cum unum & idem numero sit, susceptiua contrariorum est: ut quidam homo cum unus & idem sit, aliquando quidem albus, aliquando fit niger: & calidus, & frigidus: & prauus, & studiosus. in alijs autem nullis aliquid tale uidetur. Nisi quis forsitan instet, dicens orationem & opinionem, contrariorum esse susceptibilia. eadem enim oratio uera & falsa uidetur esse: ueluti si uera sit oratio sedere quendam, eo surgente ipsa eadem falsa erit. similiter autem & de opinione. si quis enim uerum putet aliquem sedere, surgente eo falso putabit eandem de ipso opinionem habens. Sed si quis & hoc

B suscipiat, tamen modo differt. nam ea quæ in substantijs sunt, ipsa quidem mutata, susceptibilia sunt contrariorum. Frigidum enim ex calido factum mutatur (alteratur enim) & nigrum ex albo, & studiosum ex prauo. similiter autem & in alijs unumquodq; eorum mutationem suscipiens, susceptibile contrariorum est. Oratio nanque & opinio ipsa quidem immobilia omnino perseuerant: cum uero res mouetur, contraria circa ipsa fiunt. oratio nanque eius quod sedeat aliquis permanet eadem: cum uero res mota sit, aliquando quidem uera, aliquando autem falsa dicitur. similiter autem est & in opinione. quapropter saltem modo proprium substantiæ est, ut secundum mutationem suipsius susceptibilis sit contrariorum. Si quis autem recipiat etiam hæc, orationem & opinionem susceptibilia esse contrariorum, non est hoc uerum. Oratio nanque & opinio non in eo quod ipsa aliquid recipiant, contra

C riorum susceptibilia esse dicuntur: sed eo quod circa alterum aliqua passio facta sit. nam in eo quod res est aut non est, in eo etiam oratio uera, uel falsa esse dicitur: nõ in eo quod ipsa susceptibilis sit contrariorum. simpliciter enim a nullo neque oratio neq; opinio mouetur, quapropter non erunt susceptibilia contrariorum: cum nulla contrarij sit passio in eis facta. Verum substantia in eo quod ipsa contraria recipiat, in hoc susceptibilis esse contrariorum dicitur. languorem enim & sanitatem suscipit: & candorem & nigredinem: & unumquodque talium ipsa suscipiendo, contrariorum susceptibilis esse dicitur. quare proprium erit substantiæ, cum unum & idem numero sit, secundum suipsius mutationem, susceptibilem contrariorum esse. De substantia quidem hæc dicta sunt.

D Maxime uero proprium esse uidetur substantiæ, quod idem ununque numero est, uicissim id capax esse cõtrariorum} Sextum hoc consequens proprium assignauit substantiæ, quod & inter cætera præcipuum habet: id inquam quod una numero ac eadem manens, contrariorum sit capax. Socrates enim unus idemq; permanens, modo calescit, modo frigescit. & in qualitatibus similiter alijs, reliquisque accidentibus. Hoc autem soli competit substantiæ, uerum non omni. aliud enim præter ipsam nihil, unum idemq; manens numero, natura est aptum contrarijs excipiendis, accidentia inquam. ab ea enim ubi discesseris, accidentia omnia sunt. neque enim prorsus natura comparatum est accidens accidenti subijci, ut illi existendi primordium præstet. non enim subiacet album nigro uel calido, neque id genus alicui. eadem & in alijs accidentibus ratio est. ergo nec capax est contrariorum. cõpetit igitur hoc soli quidem, non tamen omni. nam secundæ id nequaquam conuenit. neque enim unum idemq; numero dici proprie uel genus uel species possit, cum proprie unum numero circa indiuidua spectetur. Præterea quanuis unum sit species, non tamen est contrariorum capax. neque enim corpus est, ut caliditatem, uel frigiditatem, uel eiusmodi quidquam accipiat. similiter nec genus. sed hæc sane effectiua esse contrariorum, aut diuidi in contraria dicuntur, mortale inquam & immortale, rationale atque irrationale. At ne contraria quidem hæc sunt siquis acrius inspexerit. corrumpuntur enim inter se contraria: hæc autem mutuo se magis afficiunt quam corrumpant. simpliciter enim rationale atque immortale bruta & mortalia promunt in naturam. Quid ergo si non omni inest substantiæ, id eius maxime proprium esse arbitratur? Dicimus itaque cum prodita sex quædam uelut propria substantiæ sint, primum quartum quintumque esse quæ omni substantiæ non tamen soli competerent, non esse inquam in subiecto, quod differentiæ quoque constabat. & quartum, nihil esse illi contrarium, quod & quantis aderat. præterea & quintum, non admittere inquam magis & minus, quod & ipsum suppetebat quantis. At secundum, quod erat subiecta ijs omnia dici uinuoce, neque omni competere. nec enim conuenit primæ. neq; soli, quandoquidem & differentijs. Tertium autem, quod est hoc aliquid significare: & ad hoc, sextũ, unum inquam idemque numero manens capax contrariorum esse, soli substantiæ subesse, quanuis non omni. Ergo ne unum quidem ex quatuor iure approbat, quoniam non soli inerat. nemo enim quod & alij competit, id esse alicuius dixerit proprium, tametsi omni adest subiecto: sed magis quod soli quanquam non omni. At cur duorum tertij & sexti, sextum anteponit? quoniam illud, quod est significare hoc aliquid idest singularem numerum secundæ substantiæ sola uoce conuenire uidebatur. hoc uero re ipsa uidetur congruere. Quocirca ut omni quoq; substantiæ assignatum cohærere proprium ostendamus, hoc pacto immutatis parum philosophi uerbis dicamus. Maxime uero proprium substantiæ esse uidetur, indiuidua quæ sub ea continentur, uicissim capacia esse contrariorum. sic enim & de omni substantia proprium hoc prædicabitur, neq; aliorum ulli congruet prædicamentorũ. nam nec quanti indiuidua, uerbi gratia decem. nec qualis, ut in hoc lapide albũ, capacia sunt uicissim contrariorum. Verbum uicissim adiectum est, quoniam non dealbatur simul ac denigratur Socrates: nec simul ægrotat sanitateq; fruitur. Verba autem adiacentia illa, unam eandemque numero, quoniam numerus quoque contraria par & impar admittit: non unus tamen numero, sed specie unus: quando ne ut in numero quidem consistit par & in impar, sed ut in materia quæ potest in par atq; impar diuidi. nam cubitale ligniũ & in

E

F

G par, & in impar secatur. & pares equi possunt impares reddi alterius additione. Et uero corpus quanuis contraria admittat, ut album & nigrum, non unum tamen numero, sed specie est unum. Sedenim ab Aristotelica ipsa dictione id quod dicitur contemplemur{ Maxime uero proprium esse uidetur substantiæ, quod idem unumque numero est, uicißim id capax esse contrariorum} Nam unum quidem numero, ut idem seruetur subiectum: idem uero, ne secundum subsistentiam mutetur. fit enim color ex albo niger mutationem suscipiens essentiæ. nam subsistentiam in eo quod album est propriam obtinet. itaque si in nigrum mutetur, secundum subsistentiam mutatus est. at Socrates unus & idem manens, quandoque calidus, quandoque frigidus fit. & in alijs similiter. Capax autem contrariorum, ut excipiendorum uicißim contrariorum facultatem ostendat. non enim excipere contraria, siquidem essent in eodem pugnantia, sed capax dixit, quo ut exposui facultatem indicaret. in alijs autem prædicamentis nihil eiusmodi uidetur.

Quæstio.

Sed rogabit quisquam fortaßis, Quid ergo? & coruus hic est capax albedinis, uel olor nigredinis? quomodo igitur esse capax dixit contrariorum? Sed respondemus, ab ratione haudquaquam fore alienam in coruo alijsque innumeris dubitationẽ, si capacem esse omnem substantiam contrariorum omnium dixisset.

H

Neque enim nigra fieri ualet cerussa, si maneat cerussa, neque ignis si ignis maneat, capax frigiditatis humiditatisue est. nec aqua, nec terra leuitatis. nunc uero non omnium, sed simpliciter contrariorum dixit. Quamobrem etsi coruus quoq; albedinem non accipiat, aut olor nigredinem, tamen caliditatem, frigiditatem, ac cæteras contrarias qualitates admittunt. & ignis licet non frigiditatem uel humiditatem uel quid ei contrarium sustineat, lationem tamen deorsum capit uiolentam, cum sursum ferri suapte natura incitetur.

Quid uero de sole & luna ac simpliciter cœlestibus dixerimus? horum enim quoduis cum numero unum idemque sit, tamen contrariorum capax non est. Nisi contrarias quis & hic ceperit motiones, quoniam ab ortu quidem motu feruntur cum uniuerso, per se uero ipsa contrario cientur. In septem autem errantibus, ab australibus quoque regionibus ad aquilonias, & ab ijs rursus ad australes transitum ceperis licet: in eamque contrarietatem qua a terra longius recedunt, ac prope eandem iter tenent: nec non qua congrediuntur, digrediunturque. In luna autem, & eius illustrationes & reliquia. Quo fit ut sphæra sola immobilis non capax contrariorum esse uideatur.

I

Aliter quoque respondeas. Supra diximus inesse hoc quidem substantiæ, uerum non omni. neque enim speciebus competit ac generibus, sed quæ sub ijs continentur indiuiduis. Vnica uero ne omnino generis quidem uel speciei cuiuspiam sunt indiuidua, ut sol & luna. & uero cœlum prorsus unicum quoddam est. Non ergo sermo arguitur Aristotelis, etsi capacia cœlestia non sit contrariorum. nam de indiuiduis quæ sub generibus speciebusque comprehenduntur, non de omni substantia agitur. Diximus item hoc soli substantiæ, quanuis non omni congruere. quanquam ne indiuiduis quidem inest uniuersis, ut quidam putarunt, propter cycnum qui album non mutat. Verum tametsi oppositionem hanc non admittant, suscipiunt tamen ut dictum est oppositionem aliam, quæ est calidi & frigidi, humidiq; ac sicci. Secundæ autem substantiæ, ut quæ sunt immutabiles, non recipiunt contraria. similiter & cœlestia cum sint immutabilia, quatenus talia sunt, contraria non admittunt.

Possemus dicere sermonem Aristo. nõ arguẽdũ esse, & si capacia cœlestia non sint cõtrariorũ, quia hæc genera de quibus Aristo. hic agit sunt

Quidam uero difficultatem proponunt, nempe uniuersalem hominem si mutabilis sit, capacem contrariorum: sin non mutabilis, deum igitur, quod absurdum est, fore. Dicimusque constitutiuis eius partibus esse immutabilem, ut animali, rationali, mortali. homo enim nullus cum animal sit, fit inanimal. aut cum rationalis existat, expers euadit rationis. aut mortalis immortalitate fruitur. sic enim & Plato opinatur, qui immutabilem essentia, actione uero mutabilem esse rationalem animam asserit{ Nisi quis forsitan instet, ac orationem opinionemque eiusmodi esse dicat. Nam oratio eadem & uera & falsa esse uidetur: ut si uera sit sedere aliquem, ubi is consurrexerit, eadem falsa erit oratio, Eodem modo & de opinione. Siquis enim uere opinetur sedere quempiam, ut ipse surrexerit, falso opinabitur is qui eandem de ipso opinionem habet} Quæstionem quandam per se ipse in medium adducit, quam ab aliquo exulcerari par erat: eique quoad fieri potuit solutionem affert. quisquam enim dubitasset, quomodo solius dicat substantiæ proprium esse, oportere, quæ idem unumque numero est, capacem eam esse cõtrariorum. Nam ecce & pronunciatiua oratio, & opinio, quarum oratio, tum pronunciatiua, tum animo concepta quantum est, opinio autem quale, cum unum idemque maneant, capaces ueritatis sunt & falsitatis. quæ enim dicit oratio Socrates sedet, si forte sedeat Socrates, uera: rursum si surrexerit, hæc eadem falsa est. Similiter & opinio de Socrate sedente, si eum sedere contingat, recte sentit: si surrexerit, eadem falso existimat. Itaque eadem oratio, atque opinio eadem, cum unum idemque maneant, capaces sunt ueritatis falsitatisque. Solutionem igitur quæstioni bifariam infert, tum per fiduciariam reprobationem (sic enim eam uoco quam græci antiparastasin nominant) tum per instantiam, quam ijdem græci enstasin appellant. Est ergo fiduciaria reprobatio, cũ id quod obijcitur admiserimus, ostenderimus autem quanquam ita res habeat, ei tamen quod dicimus nihil officere. Instantia uero, est cum nihil omnino quæstioni cedimus, sed ipsam subuertimus, perinde quasi non ita ut est proposita habeat: ac primum quidem per fiduciariam reprobationem soluit sic inquiens{ Siquis autem uel hoc admiserit, modo tamen differt. Nam quæ sunt in substantiarum genere, cum mutentur ipsa, capacia sunt contrariorum. mutatum nanque est frigidum ex calido factum. Alteratum enim est. Et nigrum ex albo, & studiosum ex uitioso. Eodem pacto & in quouis aliorum ipsum mutationem suscipiens contrariorum est capax. Oratio autem atque opinio ipsa quidem immobilia usquequaque omnino permanent, at res cum mouetur fit circa ea contrarium} Si uero etiam inquit orationem esse concedemus contrariorum receptricem, non eodem tamen modo cum substantia suscipiet contraria. nam substantia quidem motum ipsa concipiens ex calida frigida fit, & nigra ex alba. in cæteris quoque contrarijs eodem modo, at manens immobilis oratio, eo quod mota res sit, ueritatem accepit falsitatemq;. nam cum sedeat Socrates, oratio quæ sedere eum dicit uera fit. ubi uero surrexerit, falsa est ergo Socrates is qui mouetur, oratio autem manet immobilis: idque merito. nam neque in solis orationibus, neque in solis rebus ueritas mendaciumque est, sed in uerborum cum rebus cohærentia. Quemadmodum enim calceatio neque in solo pede, neque in calceo, sed in calcei ad pedem concinnatione spectatur, sic ueritas quoque in uerborum cum rebus conuenientia. Eadem et in opinione dicemus. nam manens & illa immobilis, re cõmota, uel uera uel falsa dicitur. Modo igitur quodam hoc proprium substantiæ est: siquidem alio modo conceptrix est contrariorũ substantia, alio oratio atque opinio{ Quod siquis receptiua contrariorum esse opinionem orationemque acceptauerit, hoc uerum non est} Ac per fiduciariam quidem reprobationem hoc pacto. per instantiam uero sic dubitationem soluit, hoc autem uerum non est,

K unica at substãtia equiuoce dicit de cœlesti & sublunari.

Dubium.

L

M

A non est, idest dicere ab oratione, uel opinione admitti contraria uerum non est{ Simpliciter autem a nullo neque oratio mouetur neque opinio. Quapropter non erunt susceptiua contrariorum, cum nullus in ijs affectus prouenerit} Nam substantia in contrarijs excipiendis motu cietur qualitati conueniente. horum uero neutrum ab altero mouetur. siquidem neque oratio causa est rei mutandæ atque in contraria dimouendæ, neque res mota quidquam secum orationis commouit. nam mansit eadem immobilis oratio, nec quidquam perpessa est. afficiuntur enim quæ capacia contrariorum sunt, cum sit affectus mutatio in contraria. at quæ afficiuntur mouentur. nam motus est ipse affectus. Si ergo non permanet pronunciatiua oratio, sed simul dicta est, etiam deperijt, constat nec eam moueri. quomodo enim quod non est mouebitur? nisi moueatur, neque afficitur. nisi afficiatur, neque admittit contraria. sed ab oratione sane fatebimur quæ eadem specie, non etiam numero sit contraria excipi. eodem pacto & in opinione allegabimus. {Quo circa proprium fuerit substantiæ, ut eadem atque una numero capax contrariorũ pro sua ipsius mutatione sit} Cum orationem non unam eandemque manentem contrariorum receptricem esse ostenderit, quod soli hoc insit substantiæ, per hæc sermonem concludit. decenterque uerba illa, pro sua ipsius mutatione, apposuit. Non enim oratio inquit, atque opinio contraria suipsarum mutatione, sed eo quod res immutetur accipiunt. at substantia ipsa cum penes qualitatem mutetur, receptrix facta est contrariorum. Vnum autem numero dixit, quoniam numerum, ut materiam intelligamus oportet: contrarietatesque circa hanc fieri, nempe parium atque imparium.

Motus est affectus in cõtraria qd uero de motu circulari cõtrario uacante dicendum sit, uide te Aristo. 1. cœli tex. 87

B

DE QVANTO.

21 QVANTI autem aliud quidem est discretum, aliud autem continuum. & aliud quidem ex habentibus positionem ad seinuicem in ipsis partium constat, aliud autem ex non habentibus positionem. Est autem discretum quidem, ut numerus, & oratio. continuum uero, ut linea, superficies, corpus: amplius autem pręter hæc, locus & tempus.

C

Partium etenim numeri nullus est cõmunis terminus ad quem copulentur partes eius: ut quinque si sunt denarij partes, ad nullum terminum cõmunem copulantur quinque & quinque: sed semper discreta sunt. & tria & septem ad nullum communem terminum copulantur. neque omnino habeas in numero communem terminum partium accipere, sed semper discretę sunt. quapropter numerus quidem discretorum est. Similiter autem & oratio. Quod etenim quantum sit oratio, manifestum est. mensuratur enim syllaba breui & longa. dico autem cum uoce orationem factam. ad nullum enim communem terminum particulę eius copulantur. Non enim est communis terminus ad quem syllabę copulentur, sed unaquęque diuisa est ipsa secundum seipsam. Linea uero continua est. est enim sumere communem terminum punctum ad quem partes eius copulentur. & superficiei, lineam. plani nanque partes ad aliquem communem terminum copulantur. similiter autem & in corpore habeas sumere communem terminum lineam uel superficiem, ad quam corporis partes copulantur. Est autem talium & tempus & locus. pręsens enim tempus copulatur ad pręteritum & ad futurum. rursus locus continuorum est. locum enim quendam partes corporis obtinent, quę ad communem terminum copulantur. ergo & loci partes quę obtinent singulas corporis partes ad eundem communem terminum copulantur ad quem & corporis partes. Quapropter continuus erit & locus. ad unum enim cõmunem terminum eius partes copulantur.

D

Quanti uero alterum discretum est, alterum continuum} Cuiusnam rei gratia præposita sit prædicamentis omnibus substantia iam supra enarrauimus. sedem autem secundam obtinet in prædicamentis quantum pluribus de causis. ac primum quidem, quod quanti in sermone de substantia meminit, cum dixit non esse proprium substantiæ nihil esse ei contrarium, siquidem est & quanti ne igitur diu nos quanti naturæ ignaros relinqueret, protinus de hoc post substantiam uerba facit consulto.

E

Deinde uero, quoniam quantum secundum sibi locum in rerum natura uendicat. Prima enim materia, ut sæpe proditum est, cum incorporea, informis, infigurataque sit, prius in molem elata quantitatem consequitur, ac tres dimensiones capit, fitque triplici præditum distantia, quod secundum subiectum Aristoteles nominat: tum sic qualitates suscipit, & fit compositum, facitque elementa: uerbi gratia quod trino constat spatio, caliditate, frigiditateque accepta, fit ignis: frigiditate autem & humiditate, fit aqua: similiter & reliqua. Secundum igitur locum in ijs quæ sunt iure obtinet quantum. Quale uero in ijs quæ sunt tertium poßidet. Quartum quæ ad aliquid pertinent. siquidem respectus quidam utriusque prædicamenti sunt quæ ad aliquid referuntur. Et quoniam cæteris sublatis, mente concipere potes naturale corpus. si desit dimensio, ne corpus quidem complecti animo ualeas. locus autem & tempus & reliqua compilata inde sunt.

F

Tertia causa est, quod quoniam substantia in primam ac secundam diuiditur, primum autem & secundum numeri est, numerus uero quanti, merito locus quãto post substantiam destinatus est. Et aliter. ipsum quærere prius, quanti est. Rursus numero utitur definitio corporis, cum inquit quod triplici constat dimensione. corpus autem substantia est. numerus, quanti. Itaque sermonem de quanto iure facit Aristoteles omnibus de causis secundum. Diuidit uero quantum in continuum atque discretum. Est porro continuum quantum quod unitas habet partes, atque inter se cohærentes. discretum quod econtrario se habet, quod partes inquam a seinuicem obtinet disiunctas. Quanti continui quinque species enumerat, lineam, superficiem, corpus, locum, tempus. discreti duas, numerum, orationemque. Cæterum gratia eorum qui geometria initiati non sunt, de his opus est pauca dicere. Sciendũ igitur id a geometris corpus uocari quod tres obtinet dimensiones, longitudinem, latitudinem, profunditatem. corpus autem, aut finitum esse, aut infinitum. Sed non esse infinitum demonstratum Philosopho est in naturali auscultatione. ergo necesse est finitum sit corpus omne, si infinitum esse nullum posse

G ostensum est. quod autem finitum terminatumque est, id a termi-
no clauditur. aliud ergo terminus est ab eo quod terminatur. quã
doquidem terminos ambo, aut ambo terminata appellare erat ne
cesse. Nam si hoc terminus est, illud quod terminatur, idem uero
ei quod terminatur est terminus, nec ab eo diuersus, necesse est
quod diximus sequatur. Vt enim Socrates eiusque imago, diuersa,
non eadem sunt (nam si essent eadem, aut ambo Socratis imago
essent, aut ambo Socrates) ita in termino & eo quod terminatur
sese res habet. Hæc igitur non esse eadem est necesse, quandoqui-
dem esse diuersa confessum est. Corpus ergo si tribus præditum
sit dimensionibus, huius terminus tres non habebit. Aut igitur
duas, aut unam habuerit. sed unam obtinere non potest. non enim
corpus ipsum in uniuersum terminabit. enimuero terminus totum
id quod terminat extrinsecus emetiatur oportet. opus igitur est,
ut corporis terminus totum ipsum desoris ambiat, nec profundita
tem tangat: id si sit, longitudinem solum latitudinemque habebit
corporis terminus. quocirca dimensione una a corpore superabi-
tur, ne idem sit corpori: qui est superficies corpus limitans, ac se-
cundum longitudinem latitudinemque circunscribens. Quoniam
H uero ne hæc quidem extremo uacat, necesse est huius quoque ter-
minum iuxta sermonẽ de corpore habitum una dimensione ab ipsa
superari. Hæc igitur cum penes longitudinem ac latitudinem con
sideretur, ille unum tantum quod est in longitudinem spatium ha-
bebit. is autem linea est, longitudo latitudinis expers, uti eius quo
que habet definitio. At quoniam terminata quoque linea est, ne-
cesse est huius etiam terminus eadem ratione uno dimensu sit ea
inferior. Hæc ergo cum in sola spectetur longitudine, huius ter-
minus dimensione omnino uacat, quod est punctum. iccirco &
ipsum finiens geometra, punctum inquit est cuius pars nulla est.
Quod autem nostræ commentum non sit cogitationis esse longi-
tudinem quæ latitudine careat, sed id in rerum quoque natura in-
ueniatur, perspicue ostendunt locorum distinctiones illustrium ab
opacis. ubi enim sol uerbi gratia parieti incubuerit, eiusque par-
tem illustrauerit, necesse est quod locum collocatum ab obumbra-
to disterminat longitudo tantum sit quæ in latitudinem non por-
rigatur. nam si habeat latitudinem, id omnino aut lumine affusum
est, aut umbra contectum. non enim quidquam inter hæc medium
est: sed si lumine præditum, illustrato: si umbrosum, obumbrato
applicabitur. At uero linea palam inter hæc media cernitur. quæ
I in longitudinem solum extensa obscuratum a luminoso discrimi-
nat. nam si discreta hæc a se mutuo sunt, necesse est præter hæc sit
aliquid quod ipsa disiungat, nec radijs illuminatum sit, nec umbra
occupatum. Neque hoc latitudinem habebit. habet enim id latitu-
dinem quod necesse est lumine sit aut umbra affectum. at horum
neutrum est, cum utriusque diremptio sit. Quare necesse plane est
insolati atque inumbrati loci interlimitium, longitudinem latitudi
ne carentem esse duntaxat, quod est linea. Quin communis quoque
usus, lineæ naturaliter notitiam obtinet, cum uias metimur. longi-
tudinem enim sine latitudine solam accipimus. Rursus uero ipsius
superficiei notio habetur cum mensura definimus agros. nam eo-
rum longitudinem solum latitudinemque æstimamus. At uero pu-
teis & parietibus & lignis metiendis, corporis intelligentiam
concipimus, longitudinem & latitudinem & profunditatem ni-
mirum assumentes. Rursum itaque si infinita linea non est, sed ter-
minis conclusa, ipsius quoq; omnino finis necesse est ab ea uno spa
tio uincatur. Linea igitur quoniam unam in partem dimensile est,
huius terminus nulla constat dimensione, quod est punctum. quam-
obrem & id ita finiunt, cuius pars nulla est. Ac sic quidem per
resolutionem hæc inter se deinceps posita esse ostendimus. & ue- K
ro per compositionem idem hoc rursus demonstrabimus. Pun-
ctum si in fluxu ponatur, lineam facit. principium enim lineæ est,
ut ipsum nunc temporis, & momentum motionis. Quapropter
recte affirmat Aristoteles proportione hæc sibi inuicem respon-
dere, punctum, & ipsum nunc, & momentum. Quam enim pun-
ctum ad lineam utpote lineæ principium absque dimensione habet
rationem, eandem & ipsum nunc ad tempus obtinet, & momen-
tum ad motum: cum principia sint consequentium, ac spatio ca-
reant. Linea uero in latitudinem mota superficiem parit. hæc au-
tem si in profundum agatur, corpus efficit. Atque hæc de agno-
scendis a nobis his quid linea sit, & superficies, & corpus. Quod
autem sint hæc continua nemo ambigit. cohærent enim ipsis par-
tes, suntque una inuicem iunctæ. At locus & tempus non ex se ha
bent continuum. quocirca & Aristoteles tribus prioribus enume-
ratis linea superficie, corpore, uelut ab alio principio subiunxit.
{Adhuc autem præter hæc locus & tẽpus} Quasi illa ex se con-
tinuitatem habeant, hæc non ex sese, sed alijs de causis. Est enim
nihil aliud tempus quam motus mensura qui in cœlesti sit globo.
Diem nanq; esse dicimus, solis reditum ab ortu ad ortum rursus. L
& mensem ubi luna iterum ad idem punctum unde mouerĩ cœpit
redierit. magis uero a sole discedens rursus ad idem cum ipso pun-
ctum secundum longitudinem coiuerit. Similiter & annum, circui-
tum solis in signifero. Tempus ergo mensura est motionis: fit au-
tem motio in magnitudine. Aristoteles enim motum nullum per
uacuum fieri posse demonstrat. nam siquis motum inquit per ua-
cuum fieri uelit, is rationem quam assignet non habet cur celerius
globosa corporaijs quæ solij speciem referunt tametsi pari con-
stent mole deorsum ferantur: aliasque præterea demonstrationes
affert. Quare cum tria hæc ordine sint disposita magnitudo mo-
tus tempus, ut cumq; sese habet magnitudo, sic motus quoque, ac
quemadmodum motus. itidem habet & tempus. Nam si continua
sit magnitudo, continuus erit & qui in ea fit motus: quod si motus
continuus fit, erit & tempus continuum. Simili modo & si discre
ta magnitudo sit, discreta erunt & motus & tempus. Si in ligno
uerbi gratia fiat motus, huius uero sint partes discretæ, fiet discre
te & motus. at si continuæ hæ sunt, est & motus continuus. Itaq;
si continuus sit cœlestis globus, est & qui ab eo fit motus conti-
nuus continuum uero & tẽpus. est enim nihil aliud tempus, quam
mensura quæ in eo fit motionis. Non igitur continuitatem ex sese M
habet tempus, sed propter motum. motus uero propter corpus in
quo fit motus. quocirca tempus quoque continuitatem obtinet cor
poris beneficio. Verum ne locus quidem ex se continuum habet. est
enim locus, uti iam diximus, terminus ambiẽtis quatenus rem quæ
ambitur complectitur: ut dolium locus est uini non ipsum totum,
sed eius caua superficies duntaxat. ergo ut quod continetur se ha-
bet, sic habebit & locus. Cum igitur continuum corpus omne atq;
in loco necessario sit, erit & locus continuus. qua de re locus
quoque corporis ope quod in ipso est cõtinuitatem habet. est enim
locus ut modo diximus terminus ambientis. Nam quatenus qui-
dem terminus est ambientis, superficies non locus dicitur, conti-
nuusque est. quatenus uero ambit, locus. habetq; qua locus est con
tinuitatem ex eo ipso quod continetur. Quod autem continuus sit
omnis locus, uel hinc constare potest. Si enim dolium rescideris,
nihilque extra uinum, neque aerem, neque aliquod corpus aliud
supposueris, inuenietur uini illius pars quæ per scissuram apparet
in loco non esse, quod est absurdum. nam corpus omne loco conti-
neri est necesse. quinque igitur hæ sunt species quanti. Quam ob
causam

A causam uero speciebus quanti non connumerat motum? Dicimus
propterea quoniam motus infinitates quædam est. est enim uia a
potestate ad actum. ob id igitur huius non meminit. Et item tan-
quam ad introductitios uerba faciens. præceptionem enim maio-
rem requirit sermo de motu. Vel magis motum ne proprie qui-
dem quantum esse dicendum. est enim actus quidam eius quod mo-
uetur. nam quoniam pacto alterationem, uel auctionem, uel decre-
mentum dixerim quantum? Vt ergo nec generatio quantum est,
ita ne motus quidem ullus. nam nec motus localis ipse quantũ est,
sed actus quidam. propter subiectum uero in quo fit & non per se
continuitatem habet. Quamobrẽ mutationes in uniuersum, id quod
supra quoq; asserebam, uias in prædicamẽta, nõ prædicamẽta esse
dicendũ est. aut alia ad aliud prædicamentũ referenda, ut loco illo
prodidimus. At tempus cum numerus mensuraq; existat motionis,
proprie est quantum. nam quanti sunt numerus et mensura. est er-
go tempus quantum, si continuum quoque idest corpus quantum
est. Cæterum quæritur quanam ratione corpus inter species quan
ti cum corpus substantia sit connumerauerit. Dico itaque esse &
Quæstio. quantum & quale, ut antea quoque indicauimus substantiale. uer-
B bi gratia calidum in igne quale substantiale est. & in corpore tri
pliciter dimensum, substantiale quantum. Quem igitur ad modum
Hoc conside ratione di- siquis calidum in igne, non ut ignem, sed ut qualitatem simpliciter
gnum est ne contempletur, id ad qualitatem referet, ita corpus quoque quoad
cogamur cõ longitudinem & latitudinem & profunditatem simpliciter habet
fiteri acci- spectantes, ut speciem quanti, nec ut substantiam considerauimus.
dẽs fieri sub Discreti uero species sunt, ut traditum est, oratio et numerus.
stantiam. Est enim oratio, & quantum, & discretum quantũ. quantum qui-
dem, quoniam syllaba breui & longa eam inquit metimur. discre-
tum uero, quoniam syllaba quæuis propriam circumscriptionem
habet: possumusque syllaba una prolata supprimere alteram. Por
ro & numerus discretorum est. nam & huius quælibet unitas cir
cunscriptionem propriam obtinet. Hoc igitur pacto diuisione usus
ac subdiuisione, rursus modo quodam alio subdiuidit quantũ: quan
tum inquiens tum ex habentibus inter se partium quæ insunt ipsis
C positionem, tum ex non habentibus constare. Ex partium suarum
inter se positionem habentibus dicuntur illa, quæ alicubi posita ac
demonstrabilia sunt, partesque habent totas simul consistentes, ut
lapis. etenim situs est uerbi gratia in pariete, & demonstrari po
test sub sensum enim cadit. simulque partes eius omnes consistunt.
Ex situm itaque habentibus sunt corpus, & superficies, & linea,
& locus. demonstrabilia nanque hæc sunt omnia, & sita alicubi,
habentque partes omnes quæ simul constent. At uero tempus &
oratio neque demonstrari queunt digito, cum sensui non succum-
bant. neque simul constitutas habent partes. neque enim tempus si
mul totum existit, sed in ipso nunc solo. ipsum enim esse in eo obti-
net quod fiat corrumpaturque protinus. Verum ne oratio quidem
simul tota subsistit. nam pronunciata syllaba quæ sequuntur di-
cenda nequaquam expectat, sed prius interijt prima quam secun-
da prodierit. Quomodo igitur quod non permanet positionem
quampiam habet? atqui ordinem magis naturalem quendam ha-
bere hæc dixeris. est enim ipsum nunc futuro, non autem futurum
ipso nunc prius. estque id naturalis ordo, cum non reflectatur. Or-
do autem ad nos relatus, est cum nullo discrimine reciprocat: ue-
lut cum a dextris inchoantes, primum dixerimus dextrum. rursus
si incipere a sinistris uelimus, sinistrum primum asseruerimus. Et
uero oratio quoque ordinem obtinet naturalem. nam qui oratio
dicit, primam syllabam hanc habet, illam secundam. Quin ordo
etiam in numero est, quod duo priora uno numerẽtur. Verum quo-
niam est duplex numerus, alter in animo numerans, alter in nume- D
rabilibus: quemadmodum et Sextarius duplex, tum quo metimur,
tum quem metimur; animo insitum numerum non posse ex ijs esse
quæ positum partium habeant perspectum est. Non enim situm
quempiam habent eius partes, cum sit intelligibilis. qui autem in
numerabilibus est rebus, ut in decem equis, is ex positum habenti-
bus consistit. nam iacent usquam eius partes, ac quendam inter se
obtinent situm. ob id itaq; dixit. {Positione autem haud plane ac-
ceperis} Nec dixit nequaquam: haud ignarus numerum alterum
expositionem habentibus constare, alterum ex non habentibus.
Sed enim uel in ipsis auctoris uerbis perscrutari ea quæ diximus
operæprecium est. {Partium enim numeri communis nullus est ter
minus ad quem eius copulentur partes} Quod numerus quantum
sit, ne probatione dignum quidem arbitratur. qui enim numerum
non uult quantum esse, nec aliud quidquam censuerit. quod autem
discretum sit quantum, nimirum hoc asserit. non enim inquit termi-
num habet ad quem partes eius committantur communem. Nam
si denarium numerum in duos quinarios diuiserimus, discretum
utrumq;, circunscriptionemq; habere propriam comperiemus. ne-
que enim unitas aliqua est quæ partibus utrisque coniuncta sit,
suaque opera continuitatem ijs largiatur. Similiter & in septena- E
rio numero. nam quarta unitas, trinitatum neutram neque ad se-
ipsam, neque eas inter se cõnectit: sed ipsa quoque in circunscriptio
ne propria consideratur. quare discretum quantum est numerus.
Sed oratio quoque inquit discretum est quantum, eadem de causa.
nam neque orationis partes, syllabas inquam, per communem ter-
minum quempiam continuari cernas, sed circunscripta quælibet
est. Orationem autem dicit quæ cum uoce fit. quandoquidem enim
oratio altera pronunciatiua est, altera interius insita, quæ in anim-
mo spectatur, ob id de pronunciatiua se oratione loqui admonet.
nam interior ne quantum quidem est omnino. uerum st quidpiam
est modo, animi qualitas proculdubio est, si habitus dispositio est
animi, dispositio autem & habitus qualitates, uti intelligemus.
Numerum autem orationi anteposuit, quoniam per eum oratio-
nem metimur {Linea uero continua est. Est enim communem ter-
minum sumere ad quem eius continuantur partes, punctum. Et su-
perficiei lineam} Linea iure continua est. est enim linea longitudo
latitudine carens. nam pars eius quælibet ad aliam atque aliam co
pulatur, quæ punctum terminum obtinent communem. punctum
autem impers est, uacatque dimensione. merito igitur & eius par
tes continue ac citra dimensionem unitæ sunt. diuiditur enim in
puncto linea, in quo & eius copulantur partes. Cæterum punctum
seu communem terminum potestate nec actu oportet cepisse. nam
si actu acceperis, non erit linea tota continua. Et uero superficiei
partes communi termino id est lineæ copulantur. quocirca conti-
nua est. & superficies, per lineam enim diuiditur. quod si linea lon
gitudo est expers latitudinis cum superficies per longitudinem se-
cetur, partes latitudinis interstitio carebunt quandoquidem nec
linea spatium habet secundum latitudinem. Porro uel hoc loco li-
nea potestate & non actu capienda est {Partes enim plani ad ter
minum quendam copulantur communem} Antiquiores enim su-
perficiem absolute omnem, planum, unum pro uno dicentes appel-
lant. siquidem nullo discrimine superficiem, uel planum nominant.
Iuniores uero non omnem superficiem planum uocant, sed exten-
tam duntaxat: norunt quippe superficiem genus esse. eamq; in pla
F nam, & teretem, & globosam, ac si alia sit quæpiam diuidi {Ea-
dem uero ratione & in corpore communem terminum lineam uel
superficiem sumere assignareq; habeas, ad quam se corporis par-

G uum enim est quantum, cuius partes ad terminũ quendam coeunt communem. discretum autem, quod non ita habet. Et uero linea nominanda, magnitudinem dico spatio uno comprehensam. superficie, duobus. corpore autem, tribus. ac finitum horum quodque est, perpetuo se perinde habens. nec ad respectum diuersum, differentem, ut magnum & paruum, & multum & paucum naturam admittit. Nam siquis magnum dicat, puta quod aliud exuperet, atq; iccirco magnum montem uerbi gratia Olympum asserat, ut Hymetto uastiorem, tamen eundem hunc si terræ conferat, paruum, quasi minor quam ea sit, appellabit. Ergo quod esse magnum dicitur, quantum quodpiam finitum non est: ut singula quæ diximus quanta, non quanta duntaxat sunt, sed & circa quantum sint definiunt: exempli gratia uel in unum porrigi uersum, ut linea. uel in duos, ut superficies. uel in unione partium spectari, ut continuum. uel in earundem diuisione diremptioneq;, ut discretum Præterea. Iam magnum & paruum in quantis uersantur particularibus, ut in hac superficie. similiter & in hac linea, atq; in hoc corpore: & multum ac paucum in hoc numero. Quocirca in quantis indiuiduis horum quoduis uersatur. quanta uero indiuidua, non quanta se modo esse, uerum & circa quantum singula eorum uersentur declarant, ut tria, & quinque. Non ergo quanta sunt magnum & paruum. quo factum est, ut usus quoque Aristoteles huiusmodi fuerit exemplis, utique cum dixit a bicubito atque tricubito eiusque notæ singulis duntaxat id est subsistentibus indiuiduis quantum indicari. Nam si quantũ omnino est magnum & paruum, indiuiduum prorsus dicendum est: si est (id quod dixi) simpliciter quidpiam magnum, sed magnum in subsistẽtia esse pronunciamus. est autem & magnitudo indiuidua. Ergo si quantum est omne indiuiduum, definit. magnum autem & paruum, & multum paucumq; cum sint indiuidua. infinita quædam existunt. non igitur quanta sunt magnum & paruum. ac per instantiam quidem, ne quanta quidem ea esse ita concedit. Per fiduciariam autem reprobationem, tametsi quanta esse ea concesserit, ipsa tamen non esse contraria demonstrat. Illinc uero reprobationis initium sumit.

26 *Amplius. Siue aliquis ponat quanta esse hæc siue non ponat, nihil est in illis contrarium. quod enim non potest sumi per seipsum, sed ad alterum refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium?*

I Item siue ponat quis quanta ea esse, siue non ponat, nullum est ipsis contrarium. nam quod ipsum per se sumere non est, sed ad alterum refertur, quomodo contrarium huic esse quidpiam posit? Quod dicit huiusmodi est, Contraria primum ipsa per se sunt, absolutamque obtinent subsistentiam: tum sic inter se bellum suscipiunt: ut album & nigrum, cum alia prius quædam sint (sunt enim qualitates) ita aduersus se mutuo prælium iniuerunt. Eo siquidem ad aliquid relata a contrarijs differunt, quod primum ipsa per se contraria sint (licet enim qui album dixerit, nigrum non accepisse: & ne omnino quidem, etiam si album sit, esse. contra nigrum esse, nequaquam albo existente) deinde inter se pugnent. At quæ sunt ad aliquid simul seinuicem pariant, simulq; intereant. nam patre nominato, filium quoq; simul cõrebendi: & hoc rursus perempto, simul & filius deperit. Quandoquidem igitur magnum paruumq;, & multum ac paucum per se minime ipsa sunt, neq; horum per se ipsum non alteri adhærens subsistere aliquod ualet, non contraria, sed ad aliquid esse conspicuum est. Contraria enim esse ea dicebamus, quæ prius ipsa per se subsistentiam habent propriam, dein sic inter se pugnam commiscent.

Amplius autem. Si sunt magnum & paruum contraria, continget idem simul contraria suscipere: & ea ipsa sibimet esse contraria. Contingit enim simul idem paruum esse & magnum. Est enim ad hoc quidem paruum, ad aliud uero idipsum magnum. quare idem & paruum & magnum eodem tempore esse contingit. quare simul contraria suscipere. Sed nihil est quod uideatur simul contraria suscipere posse: ut in substantia quidem. susceptibilis enim contrariorum esse uidetur: sed nullus simul sanus est & æger: neq; album & nigrum est simul. nihilque aliud simul contraria suscipiet. Et eadem sibipsis contingit esse contraria. nam si est magnum paruo contrarium. ipsum autem idem simul est magnum & paruum, ipsum sibi erit contrarium: sed impossibile est aliquid sibipsi esse contrarium. Non est igitur magnum paruo contrarium: neque multum pauco. quare nisi & eorum quæ ad aliquid hæc quis dicat, sed quanti, nihil contrarium habebunt. K 27 L

Insuper si erunt magnũ & paruum contraria, usu ueniet idem simul contraria admittere, atque ipsa sibipsis esse contraria. Ex his contraria plane non esse ea per abductionem ad impossibile demonstrat. ait enim. Si contrarium paruo magnũ est, eodem tempore contraria eidem inesse continget. nam erit idem & magnum & paruum, & multum & paucum: uerbi causa millij granum si ad fabam conferas, paruum: si ad sinapi, magnum appellatur. & qui Athenis homines sunt, si ijs qui in pago habitant compares, multos: si ijs qui totam græciam incolunt, paucos nominabis. itaq; hæc, id quod fieri nequit, tempore eodem contraria ascisccnt. Enimuere substantia contrariorum quidem esse capax asserebatur, non tempore eodem tamen contraria accipere. erit enim idem nunquam eodem tempore calidum & frigidum, album et nigrum. Non solum autem admitti ab his contraria inquit, sed ipsa quoque sibijpsis fore cõtraria: siquidem dicitur idem paruum & magnũ, & multum & paucum, quod certe absurdum est: quippe cui nullum ipsum secum pugnat. Non est igitur magnum paruo contrarium, nec multum pauco. Antea contraria ipsa supposuit, et quanta non esse ostendit. dein subiecit quanta esse, atque contraria non esse monstrauit. nanque ut uerum postulat, neque quanta sunt, neque contraria, sed ad aliquid. Quod itaque quanta non sint, per instantiam asseruit. quod uero neque contraria, per fiduciariam reprobationem. sunt ergo uti diximus ad aliquid, ipsumque esse habent in quantis. Proprie autem magnum & paruum de continuo dicuntur. nam corpus magnum & paruum appellamus, similiter & longum & breue. eodem modo & superficiem, ac species continui reliquas magnas, uel paruas, uel longas, uel breues proprie nominamus. At multum paucumq; de discreto, nec situm habente, nempe de numero ac tempore, quæ positu carent. multum nanque tempus & paucum, similiter & numerum dicimus. Quamobrem sermonem & ipse in exemplis mediitatus, magnum & paruum in monte & millij grano, quæ continui quanti sunt, accepit. corpus enim est utrumq;. multum uero & paucum in numero, in hominibus inquam, tum qui Athenis, tum qui in pago degunt, quæ sunt discreti. est enim numerus discretum quantum. Cæterum sæpe quoque M

que

A que abutendo paruum & magnum de discreto ferimus, multum uero & paucum de continuo. paruam siquidem Demosthenis esse orationem dicimus aut magnam, quod ad scopum unum ac continuum spectet. quare & de oratione hac magnum, ob scopi continuitatem unitatemq; ferre consueuimus. Nimirũ orationes nouem illas de publicis negotijs. haudquaquam orationem longam uocaremus. non enim intentio harum una est ac continua. neq; item Philippicas undecim: sed eas dicimus multas. Quin & aquam, cum continua sit, multam nominamus, forte quod facile diuidatur. Sæpe uero & multã dicimus uiam, tametsi continua est: nempe quod in multa stadia secetur: uel quod ambulãdo locus quidam pedibus distinguatur. Est uero & hoc loco iure quæstione dignũ, quomodo multum & paucum quanta esse paulo ante affirmauerit, cũ diceret proprie quanta hæc sola nuncupari quæ proxime docuit. Sunt autem quinq; continui species, linea, superficies, corpus, locus, & tempus. & duæ discreti, oratio, et numerus. Alia uero, inquit, per accidens omnia. quippe ad hæc respicientes, & alia quanta nominamus, ut multũ uocatur album, quod sit superficies multa. Quo pacto igitur his prius dictis, quibus multũ & paucum quanti esse plane pronunciauit, hic non esse quanti, sed ad aliquid affirmat? si enim nõ quanta ea esse hic uere ostẽsum est, superius eadem esse quanta perperam dixit. quid ergo ad hoc aiunt? nimirum (id quod nos sæpe prodidimus) quæ sunt ad aliquid, definitam re uera nequaquam habere naturam, sed in prædicamentis alijs existere: esseq; multũ & paucum, & magnum ac paruum, & duplum & dimidium, similiaq; ad aliquid: quæ in quanto consistunt, nõ in quali. quemadmodũ & albius, & dulcius, & grauius, ad aliquid: quæ subsistentiam in quali obtinent. Itaq; cum multum dicimus album, quoniam multum et paucum, quæ ad aliquid sunt, circa quantum, & non quale uersantur, non proprie uidelicet, neque per se loquimur: uerum quia superficies multa quædam est quanti. Non hoc igitur dixit superius, multum ipsum per se quantum esse, sed ad aliquid in quanto: neq; id sane in quanto ferre nisi per accidens licet, nempe quod in quanto sit, multum ac paucum admittente.

28 *Maxime autem circa locum esse uidetur contrarietas quanti. sursum enim ei quod est deorsum contrarium ponunt, locum qui in medio est deorsum dicentes: eo quod plurima distantia sit medij ad mundi terminos. Videntur autem & aliorum contrariorum ab his afferre diffinitionem. Quæ enim plurimum a seinuicem distant eorum quæ sunt sub eodem genere, contraria esse diffiniunt.* C

Porro quanti contrarietas circa locum esse maxime uidetur. Supra enim & infra contrarium ponunt, locum ad medium infra nominantes, quod ad mundi terminos plurimum medij spatium sit. Postquam magnum & paruum neq; quanta esse, neq; contraria demonstrauit, siquis omnino inquit contemplari in quanto contrarietatem uelit, supra & infra cõcipiat: hæc enim tum a se mutuo plurimum distant, tum contrariorum quoq; ob id finitionem suscipiunt. sic nanque definiuntur contraria, quæ plurimum sunt in eodem genere a seinuicem distincta. Cæterum hoc ipsi non placet. siquidem supra & infra in rerum natura re uera non est, sed circum & medium: quæ non contraria, sed ad aliquid sunt. circum enim ipsum, circum medium est. supra uero & infra spatio abesse per diametrum a se mutuo debent. At terra centri rationem obtinet uniuerso collata, ad quã grauia omnia deferuntur. Qua itaq; ratione locum terræ, hoc est centrum uniuersi, ignis loco, id est cauæ lunaris globi circumferentias contrarium asseremus? non enim alter ab altero abest uniuersi diametro quare plurimum semoti non sunt. Seiuncta enim sunt ea plurimum quæ omni distant diametro. ergo neque hæc, neque supra & infra contraria sunt, sed uti dixi ad aliquid. circum nanque ipsum, circum medium est. Nisi quis infra esse terram simul omnem supposuerit, quod terra sub pedibus atque infra quauis sui parte sit habitantibus, cœlum autem supra. Quod siquis secundum terræ superficiem infra, sphæram autem supra dicere uelit, idem supra infraque esse inuenietur. Nam superna terræ superficies infra est cœli comparatione. si infernæ suppsius superficiei conferatur, supra. Quin & hemisphærium utrumq; supra infraq; erit cum sese pro motu diuerso aliter atq; aliter habeat. Sed nihil est quod simul in seipso contraria eadem ratione obtineat. Qua de causa fieri nequit, ut supra & infra in rerũ natura proprie sint. nisi modo prædicto simul terram omnem infra appellare cuiquam libeat. Enimuero situ est supra & infra: ut capiti nostro impendens laquear. quippe ad nos relatum, supra: est ad eo superiora, infra. Locum ad medium infra nominantes quod ad mundi terminos plurimum medij spatium sit. Qui, inquit, supra & infra in rerum natura esse propterea uolunt, quod terra a quouis mundi termino spatio per diametrum distet, terram infra esse iccirco asseuerant. Ab his uero finitionem quoq; aliorum inferre contrariorum uidentur. Nam quæ a se plurimũ inuicem in eodem distant genere, contraria definiunt. Quoniam terram infra esse suspicati sunt inquit, hæc uero ut ad singulos mundi fines relata plurimo interstitio abest, per diametrum inquam: sunt autem supra & infra contraria, referunturque hæc ad unum genus quantum, ex his & contrarijs omnibus finitionem asserunt, contrariaque esse dicunt ea quæ a se mutuo distant plurimum, sub eodem genere comprehensa. D

Non uidetur autem quantum suscipere magis & minus, ut bicubitum. Neque enim alterum altero magis bicubitum. Neque in numero: ut tria quam quinque nihil magis quinque aut tria dicuntur, neque quinque quam tria. nec tempus alterum altero magis tempus dicitur: nec in nullo eorum quę dicta sunt omnino, magis & minus dicitur. Quare quantum non suscipit magis & minus. 29 P

Non uidetur uero quantum magis & minus admittere. Cum proprium esse quanti asseruerit nullum habere contrarium, idque omni inesse ostenderit, non addidit quanti hoc proprium non esse, quandoquidem & substantiæ competat, quemadmodum & in substantia egit. hoc enim ex ijs fuit perspectum quæ de substantia disseruit. Nam si ibi proprium non esse substantiæ nihil contrarium habere pronunciauit, quod & quanto cõueniat, constat hic quoq; proprium quanti, quoniam & substantiæ inest, non esse. Quare quantum nullum capax cõtrariorum est. Verum si contrariorum capax quantum esse fateri oporteat, uti substantiæ quoq; contrarium nullum esse dicebamus, ipsam uero capacem contrariorum, quid ergo? non est, inquiunt, crassum & tenue quanti, et latum & angustum, quæ sunt contraria? At hæc non esse quanta, sed ipsum esse obtinere in quantis asserimus, non aliter quam magnum quoque ac paruum. crassum enim id uocamus, quod dimensionem multam habet in profundum. latum, quod in latitudinem. angustum autem & tenue, quod parũ in profundum ac latum inter stitij ha-

G bet.ac quæcunque de alijs prodidimus, magno inquam & paruo, multo & pauco,hæc in his quoque pronunciabimus. nam & hæc ad aliquid sunt {Non uidetur quantum magis & minus admittere} Ad aliud quanti proprium transiuit, quod est non admittere magis & minus.neque ad iniuria:siquidem diximus,ubi contrarietas est,ibi magis & minus ex contrariorum mistione fieri. Est uero sciendum,et hoc rursum reprobari a philosopho,perinde quasi & substantiæ competat ad aliud autem digreditur,aitque.

30 *Proprium autem maxime quanti est quod æquale & inæquale dicitur. Vnumquodque enim eorum quæ dicta sunt quantorum æquale & inæquale dicitur: ut corpus æquale & inæquale dicitur. & numerus, & tempus æquale & inæquale dicitur. similiter autē & in alijs quæ dicta sunt,unumquodq; æquale & inæquale dicitur. In cæteris uero quæcunq; quanta non sunt, non prorsus uidebitur æquale & inæquale dici. ut dispositio æqualis & inæqualis non omnino dicitur, sed*

H *magis similis & dissimilis.et albū æquale et inæquale nō omnno dicitur, sed simile uel dissimile quare quanti maxime sit propriū,æquale & inæquale dici.*

Cæterum quanti proprium maxime est, æquale dici atque inæquale{ Atque hoc præcipue proprium est quanti,quoniam rei soli inest atq; omni.linea enim æqualis lineæ atq; inæqualis dicitur, & locus loco,et superficiei superficies,et corpus corpori,& orationi oratio,& numerus numero. Quod si in quoquam alio æquale & inæquale nominemus,id non per se, sed per accidens appellamus.exempli causa, corpus hoc album dicimus corpori albo illi æquale: eodem modo & inæquale: non in quo alba sunt, sed quatenus corpora, quæ sunt quanti. Verum simile magis in talibus proprie diceretur atque dissimile. album enim albo simile ac dissimile dicitur, & in id genus alijs eadem ratione.

DE RELATIVIS,HOC EST AD ALIQVID SESE REFERENTIBVS.

31 I  D *Aliquid uero talia dicuntur,quæcunque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur,uel quomodolibet aliter ad alterum. Vt maius hoc ipsum quod est alterius dicitur:aliquo enim maius dicitur: & duplum alterius dicitur hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum dicitur. similiter autem & alia quæcunque huiusmodi sunt. At uero sunt etiam & hæc ad aliquid: ut habitus,dispositio,sensus,scientia,positio.hæc enim omnia quæ dicta sunt hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur,uel quomodolibet aliter ad alterum, & non aliud quiddam. habitus enim alicuius habitus esse dicitur, & scientia alicuius scientia, & positio alicuius positio,& alia uero similiter. Ad aliquid igitur sunt, quæcunque hæc ipsa quæ sunt,aliorum esse dicuntur, uel quomodolibet aliter ad alterum. ut mons magnus dicitur ad alterum (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & simile alicui simile, & cætera talia similiter ad aliquid dicuntur.* K

Ad aliquid uero dicuntur talia quæcunq; ea ipsa quæ sunt esse aliorum dicuntur} Quinque hæc ante relatiuorum præceptionem oportet quæramus. Primum ordinem eorum ad prædicamenta, Alterum inscriptionis causam. Tertium eorum subsistentiam,quænam sit. Quartum diuisionem in species. Quintum,genus docendi. Primum itaq; cur locutus de quanto,non deinceps de quali,sed de ad aliquid relatis sermonem instruit:tametsi quale formam per se quandam ac subsistentiam habeat, hæc autem propriam non habeant subsistentiam, sed ipsum esse in alijs obtineant prædicamentis?pluris enim quæ per se substant fiunt ijs quæ ipsum esse in obnixu possident.nam ipsum per se quidquam primū sit oportet,tum sic ad aliud cohærentiam suscipiat. Dicimus igitur quo modo fecit in quanto,secundamq; de hoc præceptionem ob id statuit,quod in sermone de substantia eius meminerit, ne diu nos quid tandem quantū esset ignorare pateretur,nō secus quoq; hic facere.postea enim quam,cum de quanto ageretur, ad aliquid se habentiū meminit,ubi magnū & paruum,multū & paucum ad aliquid esse pro-

L nunciabat, ne nos quæ relatiuorum natura sit ignorantes diu sineret,de ijs protinus sermonem habet. Quamobrem uero de relatiuis,nō de relatiuo singulari inscriptum est numero?propterea inquam quod ad aliquid pertinentia respectus quidam sunt:is autem in rebus duabus minimum spectatur: eaq; de re pluraliter titulum indidit.dextrum enim sinistri est dextrū, nec potest quidquam ipsum per se dextrum esse. & pater filij pater,nec quisquam per se fuerit pater quin ad filium dicatur. At in substantia fieri potest, magis uero est necesse,res una per se substantia sit ut homo. Similiter & in quanto. potest enim solū bicubitum quantū esse. Possunt uero res ipsæ de relatiuis,pluraliter, ipsa autem prædicatio,uel respectus ipse,singulariter de relatiuo nominari.quo modo in quanto,prædicamentisq; alijs singulariter prædicamentū proferimus, inscriptione nimirū non res eo contentas, sed quæ de ipsis cōmuniter dicitur naturā declarantes. siquidem et relatio quanquā est in pluribus,subiecto tamen una est,ut semen ac fructus, & ascensus descensusq;.est enim serui ad dominū relatio una,quæ a seruo incipiētibus nobis,seruitus:a domino,dominatus uocatur.simili quoq; ratione in discipulo & præceptore,ac reliquis. uerū quo,uti diximus,nunquā uni rei substare ad aliquid prædicamentum indicaret, M pluraliter iccirco de relatiuis inscriptionem fecit. De ipsorū uero subsistentia hæc dicimus, Quidam nihil ad aliquid natura esse inquiunt,sed nostræ hæc esse cogitationis cōmentum: aiuntq; non ita quæ ad aliquid sunt natura esse, uerum positione atq; composito. quandoquidem fieri nequit,ut quod dextrum est, sinistrum fiat:& dextrum,quod sinistrū.pater quoq; filius etiam est.& seruus positione seruus. natura enim seruus nemo est, idem autem & herus alterius fieri eadem ratione potest.Cæterum hi non recte sentiunt. perinde enim cognita natura hæc sunt,ac partes corporis in mutuo quodam respectu cōsiderantur. quædam enim dextra a natura sita est,ut iecur.quædam sinistra,ut lien. nec sinistrū fieri iecur unquam potest,nec lien dexter. Verū si alter in alterius locū cesserit,interijt animal. Deus quoq; imperat solus:nos uero eius tantū imperio subditi omnes sumus.Corpus item mouēt anima naturaq; duntaxat:ab ipsis autem solummodo corpus mouetur, nec contra ipsas mouet.Quidā uero his ex diametro se habētes ac repugnantissimi res omnes ad aliquid esse censebant. quorū ex grege Protagoras fuit Sophista. Is.n.rem nullā asserebat finitam certamque

A *que obtinere naturam: proinde nec mentiri quenquam posse affirmabat. quemlibet enim prout sibi apparet opinaturque de rebus, quæ nō finitam naturam, sed ipsum esse in respectu ad nos habent, pronunciare. Mel itaque auriginosis amarum dici, ac sane ueros esse. nam quod eorum opinio fert,atque iisdem uidetur,id eos quoque affirmare.qui uero sanitate fruuntur,dulce, et ipsos perinde ueridicos.Nigræ quoque columbæ in sole stantis collum nonnullis purpureum,quibusdam aureum apparere.alijsque aliter quodammodo, pro diuerso tum ipsius, tum intuentium positu. simili modo & in alijs cunctis.quod enim uerum alij uidetur, id ab alio falsum esse existimari. quodque huic elegans esse censetur, id alij uitiosum habitum esse,uerum autem oppositum. Lege ergo amarum dici,lege dulce:alterum uero nihil. Quocirca definitam aliquam a re nulla obtineri subsistentiam, sed esse ad aliquid. Hunc autem confutat quidem et Aristoteles in tertio Metaphysicæ tractationis uolumine. Si omne,inquiens, quod aliquis quidquam esse putat,id uerum quoque est,quandoquidem alimento esse ignem, non autem urere furiosi arbitrantur,ingestum ijs ignem alere, nec urere oportebat. uel panis ureret eos, nec aleret opus erat, quo-*

B *niam urere hunc suspicantur. Cæterum redarguit & Plato in Theæteto dialogo ipsum hoc refellere instituens: in quo post demonstrationes multas,hanc quoque urbane rationem affert,Quo*
„ *niam nos,inquit, o Protagora te nequaquam uerum esse affirma-*
„ *mus,num ueri sumas cum mentirite dicimus an falsi? si ergo ue-*
„ *rum pronunciamus, mentitur Protagoras, qui omnes uera loqui censet. nos enim uerum asserimus,cum commemorare te falsa hæc dicimus. Quod si sumus mendaces, licet ergo mendacium dicere: nec qui quidquam loquitur uerum omnis enunciat. Alij uero præter hos recte dicebant,res alias ad aliquid, ipsas autem per se esse alias. ad aliquid, ut dextrum,sinistrum:per seipsas,ut corpus, ut homo.non est enim ad aliquid homo qua homo est. Porro hæc ad aliquid spectantia propria subsistentia carent: esse uero ipsum in alijs habent prædicamentis. Cum enim patrem dixi, relationem dixi in substantia: cum multum uel paucum, in quanto: cum albius uel nigrius, in quali. cademque in cæteris ratione. Pulchre autem ipsa appendicibus compararunt nonnulli,quæ non subsistentiam propriam,sed ipsum esse in stirpibus obtinent. Assimulant eo quoque sibi inuicem obnitentibus lignis:quippe horum al-*

C *tero sublato, haudquaquam reliquum stabit. Diuisio autem hæc ipsorum est, Quæ sunt ad aliquid, alia per æquiuocationem dicuntur: ut simile,simili simile.alia per diuersiuocationem,{& horum quædam a mutuo excessu uel defectu: ut multum ac paucum, magnum & paruum, maius minusque. alia a principe & subdito:ut dominus,serui dominus.quædam a iudicante et eo quod iudicatur:ut sensibile,sensu sensibile:et scibile,sciētia scibile. uel ab eo quod participat & quo participat,ut sciens,quod scientiæ particeps sit,sciens nominatur.aut secundum causam & a causa perfectum, ut pater, filij pater. uel secundum agens ac patiens, ut uerberans uapulantem uerberat. uel pro locali differentia, ut dexter, sinistri dexter. Modo autem docendi huiusmodi utitur, Non sanam protinus integramque ad aliquid relatorum tradit finitionem, uerum prius quam ueteres ipsorum finitionem statuerint exponit. dein complura ostendit quæ finitionem hanc comitentur incommoda, itaque finitionem aliam ipse eorum propriam reddit, quæ solis omnibusque inest ad aliquid pertinentibus. Ne enim crassari inuehique in antiquos uideatur, ipsorum prius explicat finitionem. atque ostensis quæ ipsam consequuntur absurditatibus,suam deinceps finitionem citra inuidiam communit.Cæterum sciendum est, quæ sunt ad aliquid,prorsus a recto casu incipere, atque ad unum ex obliquis referri. uiuque interim uenire, ut ad quem assignantur, ad eundem & commeant, ut pater, filij pater, & filius,patris filius. Quandōque autem ad quem eduntur non etiam ad eundem sed ad alium reciprocent, ut in sensu & sensili.est enim sensus,sensibilis rei sensus.hic ad genitiuum assignatio est:uerum non contra ad genitiuum.sed ad ablatiuum reflectitur.ut sensibilis res,sensu sensibilis. Et uero attributio ad accusatiuum fiat sæpenumero: uti cum dicimus, uerberans uapulantem uerberat.eaque ad ablatiuum conuersionem faciat. nam qui uerbatur,a uerberante uerberatur{ Ad aliquid uero dicuntur talia} Id est quæcunque ipsa non secundum quam sunt naturam, sed hoc ipso quod aliorum esse dicuntur,eo sunt ad aliquid.uerbi causa homines sunt pater & dominus.si ergo accepti hac ratione fuerint, non sunt ad aliquid: sed quoad relationem ad aliud obtinent, ad aliquid dicuntur. Dexter quoque homo, non qua homo, alterius dexter uocatur: sed quatenus dexter. Verbo autem dicitur usus est,ut cui hæc minime placeat sententia. ostendet enim multa quæ finitionem sequuntur absurda:aliamq; ipse finitionem ponet{Quæcunque ea ipsa quæ sunt esse aliorum dicuntur} Vt dexter homo, non qua ratione homo est, alterius dexter appellatur:uerum qua* D *dexter{Vel quouis modo aliter ad aliud} Quoniā ad genitiuum assignationem fecit cum ait,esse aliorum dicuntur, ne ad solum genitiuum quæ sunt ad aliquid depromi putaueris,uel quouis,inquit, aliter modo:id est siue ad genitiuum,siue ad accusatiuum fiat accommodatio{Sunt porro talia quoque ad aliquid, ut habitus,dispositio, scientia, sensus, positio} Quoniam priora quanti sunt, hæc autem qualis, merito seiungere ea uisus est, cum dixit, Sunt porro talia quoque ad aliquid. Vel quoniam ad genitiuum casum superiora assignauit,quæ ad eundem rursus reciprocationem obtinebant, hæc uero ad ablatiuum reflectuntur, ea uelut ab alio principio data opera edisserit. Exemplis autem exponendis modum nobis præbet relatiuorum reflexionis. hæc enim ut antedixi ad genitiuum edita, conuersionem ad ablatiuum faciunt.Est enim habitus, habilis rei habitus. hic ad genitiuum assignatio est:reciprocatio autem ad ablatiuum. nanque habilis res, habitu habilis est. similiter & dispositio, disponi aptæ rei dispositio: & apta disponi res, dispositione disponi idonea. & scientia, scibilis rei scientia:& scibilis res,scientia scibilis.*

Sunt autem & accubitus & statio & sessio positiones quædam. positiones uero ad aliquid sunt. iacere autem & stare uel sedere, ipsa quidem non sunt positiones, dominatiue uero dicuntur ab ijs quæ dictæ sunt positionibus. F 32

Sunt uero & accubitus, & status,& sessio, positiones quendam{ Cum aliquid esse dicere & accubitum & statum & sessionem uelit,id probat ex genere,positione inquam, quæ genus dictorum est, ipsa uero ad aliquid. est enim positio, sitæ rei positio. Quod si genus ad aliquid est,huius quoque species(eæ autem sunt quas enumerauimus) constat ad aliquid referri. aut enim corpus erectum totum est,& status nominatur: aut obliquum totum iacet,diciturque accubitus: aut partim stat,partim iacet, ac sessio nuncupatur. Cæterū quærendum est,si hæc relatiuis subijciantur, quænam ad situs prædicamentū reducemus? Dicimus ergo aliud statum esse,& aliud stare,aliud accubitum, & accumbere aliud: sessionem quoq;,et sedere aliud. Status enim & reclinatio et sessio sese in ipsam idest habitum declarant.stare autem, & recubare,

G & sedere, non habitum modo, uerum ipsam quoq; reclinatam substantiam indicant. eodem & in cæteris modo. Illa igitur utpote habitum significantia, ad ea quæ aliquo spectant sese recipiunt: hæc autem cum habitu res quoque circa quas habitus est declarantia, sub situs prædicamentum referuntur. Quem enim admodum aliud in tempore est, aliud tempus: & aliud in loco, aliud uero locus. (continua enim quanta sunt tempus & locus: ipsum autem in loco in prædicamentum ubi: ipsum uero in tempore, in quando confertur) perinde in his quoque res sese uti dictum est habet. id quod ipse quoque aperiens intulit {Recumbere autem, uel stare, uel sedere, ipsa quidem positiones non sunt, cæterum sunt a positionibus quas diximus denominatiue desumpta} Non uero siquid denominatiue dicitur, idem illi est a quo dicitur. stare enim a statu, accumbere ab accubitu, sedere a sessione nominatur. Quo autem modo a speciebus positionis deducta hæc sunt, eodem quoque ab horum genere hoc est positu situm esse, quod prædicamẽtorum unum est, transferetur. siquidem hoc eius quod est recubare & stare & sedere cognatum est genus. Quare species una ad aliquid se re-
H ferentium, hoc est positio, unum quod est situm esse prædicamentum peperit. nec quidquam mirum, quando & tempus prædicamentum quando, & locus prædicamentum ubi, quæ species quanti sunt, pariunt. non enim tempus ipsum est quando, nec locus ubi, sed res quæ in tempore ac loco fiunt.

33 *Inest autem & contrarietas in ijs quæ sunt ad aliquid: ut uirtus uitio contrarium, cum sit utrunque eorum ad aliquid: & scientia ignorantiæ. Non autem omnibus ijs quæ sunt ad aliquid insunt contraria: duplici enim nihil est contrarium, neque triplici, neque ulli talium.*

Inest autem & contrarietas in ijs quæ sunt ad aliquid, ut uitium uirtuti contrarium, cum ad aliquid sit utrunque: & scientiæ ignorantia} Cum de ijs quæ ad aliquid referuntur ex ueterũ sententia disputauerit, nunc uult proprium eorum depromere, exponitque ea prius quæ relatiuorum propria esse uidentur, re autem uera non sunt: uti sane tum in substantia fecit, tum in quanto: ne qui minus exercitatus in hæc offendit, ea propria uere esse arbitretur. Ac primum quidem ipsorum proprium esse dicit contraria
I admittere. est nanque contrarium inquit uitium uirtuti, & scientiæ inscitia, & iustitia iniustitiæ. quippe hæc singula ad aliud dicuntur. uirtus enim studiosi dicitur uirtus. & scientia, scibilis uel scientis scientia, & uitium uitiosi uitium, reciprocantque. Verum non quæcunque sese habent ad aliquid contrarietatem suscipiunt: idque haud immerito. quandoquidem enim adnatis similia sunt uti diximus relatiua, neque definitas res ad propriam habent subsistentiam, sed in prædicamentis alijs reperiuntur, ea quibus adhærent imitantur: ac quæcunque contrarium admittunt prædicamenta, consistentia quoque in ipsis obtinent relatiua contrarietatem nanciscentia. quæ uero nullum habent contrarium, eorum quoque relatiua sortiuntur quæ medio careant. exempli causa, Quoniam substantiæ ac quanto contrarium est nullum, neque subsistentibus circa ea relatiuis aliquid erit contrarium, ut triplici. nam triplex ad aliquid est. alicuius enim est triplex. nec tamen contrarium habet quidpiam: quoniam uti diximus prædicamento inhæret contrarium nullum habenti, id est quanto. Similiter quoque in substantia, ut hero, filio, dextro, sinistro. nihil enim his contrarium propterea est, quod ij quibus adhærent, homines inquam, sint sub contrario carens prædicamentum redacti. Quoniam uero contrarium K
qualitati quidquam est, ob id & quæ circa ipsam habentur relatiuis adest contrarium: ut uirtuti contrarium uitium: & inscitia scientiæ. hæc enim sunt qualia. Porro illud ignorandum non est, contraria hæc alijs esse, alijs ad aliquid: ut uirtus, studiosi uirtus: & studiosus, uirtute studiosus. similiter & uitium, uitiosi uitium: & uitiosus, uitio uitiosus. his ergo ad aliquid sunt. contrarium autem uitium uirtuti, & uitiosus studioso: iure igitur & in ijs quæ sunt ad aliquid spectatur contrarietas, neq; est id consequens omnibus. Quærendum uero est quo pacto uirtutem uitiumq;, & scientiam atque ignorantiam ad aliquid perbibeat. Respondemus non eum ex propria hæc sentẽtia, uerum simulanter: affirmare nimirũ cum traditam labefactare finitionem uelit. Si enim ex eo quod dicantur aliorum, quæ ad aliquid sunt obsignantur, hæc quoque ad aliquid erunt. nam ea quoque dicuntur ad aliquid. uirtus enim studiosi uirtus: & uitium uitiosi uitium: & scientia scientis scientia: inscitia: & inscientis inscitia. Hac autem ratione & prædicamenta accidentis omnia, nouem inquam illa ad aliquid esse indicat: siquidem omnia ipsius esse substantiæ, quippe cui superueniant, dicuntur albedo enim, albi dicitur albedo: & bicubitum, ligni, si fór-
L te contingat. bicubitum & uero quando, & ubi, & facere, & pati, alicuius dicuntur. non enim est quidquam ipsum per se quando, sed est aliquid substantiæ. eodem modo & in reliquis. Quin substantia quoque ipsa cum uelut pars sumitur, ad aliud dicitur. nam pars totius fertur pars, & totum in partibus totum. At hoc est absurdum, prædicamenta inquam omnia ad aliquid censeri. Porro quod prædicamenta euidenter omnia ab ijs quæ sunt ad aliquid discernantur, inde dilucescit: si enim ad aliquid essent, finiendis ijs illa ad quæ dicuntur assumi oporteret. nam relata ad aliquid finientes, necessario & eorum ad quæ illa dicuntur meminimus. uerbi causa cum patrem definimus, filij quoque mentionem haberi est necesse, patrem enim filij dices. at cum prædicamenta alia finitione complectimur, ea ad quæ dicuntur cõmemorare haudquaquam cogimur. finiendo enim si forte accidat bicubito, aliorũ deinceps cuiusquam cuius dicitur bicubitum, ut ligni haud necesse est memineris. similis etiam in quali, ac cæteris ratio est. Ergo si prædicamenta ad aliud dicuntur (esse enim accidentia ipsius perhibentur substantiæ, & partes totius) nec sunt ad aliquid, constat relatiuorum finitionem perperam redditam, quippe cum prædicamenta quoque alia comprehendat. Non enim quod alterius dicitur, ipsum esse in hoc obtinet quod dicatur alterius. at obtinent ipsum esse in hoc relatiua quod sint ad aliquid. nam siquid est alterius, id esse & alterius fertur. at non contra, si perbibeatur alterius quidquam, ipsum quoque esse in hoc iam habet, quod alterius dicatur. Cæterum sciendum est quicunque a Platone relatiua hoc pacto finiri aiunt, putareq; ipsum in eo relatiuorum esse quod aliorum dicantur subsistentiam, inurere hos philosopho calumniam. etenim quod ea non quia dicantur, uerum sint aliorum obsignet, ex proditis in Gorgia licet cognoscas. ait enim si agens est, patiens quoque esse aliquid est necesse. esse enim dixit, non dici. M

34 *Videntur autem & magis & minus ea quæ ad aliquid sunt suscipere. Simile enim & dissimile magis & minus dicitur: & æquale & inæquale magis & minus dicitur: cum utrunque sit ad aliquid. simile enim alicui simile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Nõ autem omnia quæ sunt ad aliquid suscipiunt magis & minus.*

minus.

A *minus. duplum enim non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid talium.*

Suscipere autem quæ ad aliquid sunt ipsum magis & minus uidentur. Simile enim & dissimile magis & minus dicitur, quorum est utrunque ad aliquid. Dicitur æquale quoque atque inæquale magis & minus} Ad aliud proprium consequens relatiuorum transit superiore improbato, nempe suscipi a relatiuis magis & minus. dicimus enim hoc illi magis minusque simile: ut album in pariete magis simile albo esse ei quod in ueste est, quam quod in niue. Estque consequens hoc superiori non absimile: siquidem neque hoc quæ ad aliquid sunt comitatur omnia. pater enim alio patre non dicitur esse magis pater. similiter neque filius. idque iure optimo. dictum nanque est, ubi spectatur contrarietas, magis ibi esse ac minus. contra ubi non est, nec magis minusque haberi. Quibus ergo subest relatiuis contrarietas, in ijs est magis & minus. quoniam uero non inest contrarietas omnibus, nec omnibus iccirco magis minusque suppetit. Fortassis uero quispiam disquirendo dixerit, in quibus contraria sunt, in ijs magis quoque & minus contrariorum mistione fieri: eamque
B ob rem in quanto quoniam non sunt contraria, nec magis minusque haberi. Rursum si æquale & inæquale proprium est quanti, cur hic magis inquit & minus dici æquale? Relatio enim si in prædicamento sit contrarium habente, contraria quoque ab ea suscipi asserebamus. sin uero in prædicamento quod contraria non admittat, neque ab ipsa contraria excipi. Igitur si æquale & inæquale ad aliquid est in quanto consistens, contrarium autem nullum est quanto, nec æquale & inæquale contraria sunt. ubi uero non est contrarium, ibi nec magis & minus. ergo magis ac minus non dicitur æquale & inæquale. Nam si fit magis & minus contrariorum mistione, nec miscetur æquale inæquali, nec magis quidquam ac minus inæquale fuerit: quippe minus inæquale, quod æqualis particeps magis sit, minus inæquale appellatur. Item si magis & minus inæquale quidquam est, erit & magis ac minus aliquid æquale. nam quod minus est inæquale, est id magis æquale magis inæquali. quo sane modo minus album, magis albo, magis est nigrum. Ergo si fieri nequit, ut æquale æquali magis minusque sit (quod enim ex æquali in plus, aut minus egreditur non est amplius æquale) neque igitur ma-
C gis & minus inæquale est. Priuatio enim magis infinitudoque est inæquale, non æquali contrarium. An igitur uel per abusum hoc loco dixit æquale magis & minus esse, minus utique exquisite decernens. uel hoc per additionem post adiectum est a nonnullis.

35 *Omnia autem quæ sunt ad aliquid ad conuertentia dicuntur: ut seruus domini seruus, & dominus serui dominus esse dicitur: & duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium: & maius minore maius, & minus maiore minus: similiter autem & in alijs. Sed casu aliquotiens differrent secundum locutionem: ut scientia scibilis scientia dicitur, & scibile scientia scibile: & sensus sensibilis sensus, & sensibile sensu sensibile.*

Quæcunque uero ad aliquid sunt ad conuertentia dicuntur: ut seruus, domini seruus dicitur: & dominus, serui dominus. Et duplum dimidij duplum} Ad aliud consequens transiuit relatiuorum quod præcipue ipsorum est proprium, nempe dici ad Anti- D
strephonta idest conuertentia. Verum quo dici ad Antistrephonta quid sit intelligamus, discamus ante quid sit Antistrophe id-est conuersio reciprocatioque. hoc autem prius, quid sit strophe hoc est uersio. Est uersio itaque seu strophe, ab eodem in idem restitutio. ob id enim & uerti dicimus uniuersum, quoniam circulari motu ab eodem puncto ad idem iterum redit. Nos quoque uerti dicimur cum ex quo incepimus loco, in illum desiuerimus. Antistrophe autem seu conuersio, uelut isostrophe id est æquiuersio est. nam anti apud ueteres græcos æquale significat: quemadmodum Antitheon pro Isotheon hoc est Deo æquale: & Antianira quæ uiris æquatur: & Antichira digitum magnum appellant, quod pares cæteris uires obtineat. Isostrophe uero est, cum alterum de altero magis nihil quam de reliquo prædicatur illud: ut pater nihilo ad filium magis dicitur quam filius ad patrem. Quæ ergo sunt ad aliquid, ad conuertentia dicuntur: ut seruus, domini seruus: & dominus, serui dominus {Verum casu} inquit {Quandoque in dictione differrent} Quoniam enim ad genitiuum edidit, propterea subiunxit, non ad genitiuum modo quæ sunt ad aliquid, uerum ad alium quoque casum assignari. quo
E fit ut neque ad eundem omnino reciprocent: dictum autem de his iam nobis antea est {Ad conuertentia dicuntur} Dicuntur ergo ad conuertentia quæ sunt ad aliquid cum geminatione: uerbi gratia seruus duo quædam est, & seruus, & homo. Dominus itaque ad id quod seruus est dicitur dominus, quoniam & ad illum reflectitur. non autem ad id quod homo est. Aequalitatem igitur seruare mutuam debent, quo etiam conuertantur: quemadmodum homo & risibile. quod si sint inæqualia, tunc non reciprocant.

36 *At uero aliquotiens non uidebitur conuerti, nisi conuenienter ad quod dicitur assignetur, sed peccet is qui assignat: ut ala si assignetur auis, non conuertitur, ut sit auis alæ. non enim prius conuenienter assignatum est ala auis. neque enim quatenus auis est, eatenus ala ipsius dicitur: sed in eo quod alata est. multorum enim & aliorum alæ sunt, quæ non sunt aues. Quare si assignetur conuenienter, & conuertitur: ut ala, alati ala est: & alatum ala alatum.*

Verumeninuero commeare non interdum uidebuntur, nisi F
proprie fuerint ad quod dicuntur assignata, sed peccauerit is qui attribuit: ut penna si auis prodita sit, non reciprocat auis pennæ} Quæ sunt ad aliquid æqualitatem seruare inter se debent, ut conuertantur: quo modo obambulant homo quoque & risibile. Quod si sint inæqualia, maius quidem est minori consequens, ut homini animal: maiori autem minus non item. Non enim sequitur homo animal, ut animal hominem. Est ergo relatiuorum regula hæc, nempe æqualitas: ut pater filij: & duplum dimidij: quæ & reciprocant. quæ uero sunt inæqualia, non etiam reciprocant: id quod uel ipse ait, penna si auis prodita sit, non reciprocat auis pennæ: siquidem omnis penna non est auis penna. sunt enim uolucres quædam quæ aues non sunt. Volucres nanque aliæ sunt fissipennes, ut quæ in nostro sunt orbe, quæ solæ etiam aues nuncupantur, ut ipse in libro de animalium historia docuit: aliæ cutipennes, ut uespertiliones: quædam uaginipennes, ut scarabæi, quæ non sunt aues: Quandoquidem igitur non inter se æqua sunt penna & auis, sed penna quam auis latius patet quam, ut etiam conuertantur, exæquare hæc conuenit.

G Exæquantur Porro inæqualia, uel minore aucto, uel deminuto maiore. Ergo in his si id quod minus est auxerimus hoc est auem, atque ita fecerimus. penna pennati penna, pennatum, auem appellantes, sic commeat. nam pennatum penna pennatum. Rursus si proditum sit clauus nauigij clauus, hic non reciprocat. dicere enim haud licet nauigium clauo nauigium. sunt enim nauigia complura quæ gubernaculo careant: ut piscatoriæ quædam nauiculæ quas Acatia græci nominant. Quoniam itaque inæqualia & hæc sunt (amplius enim nauigij quam claui uocabulum est) si quod maius est minuerimus, nauigium inquam, nimirum pro nauigio clauatum dicentes, tunc æqualia reddita conuertuntur. clauus enim clauati clauus, & clauatum clauo clauatum. Item caput alicuius dicitur caput, nempe animalis. si igitur tributum ad animal sit, non reflectitur, quoniam non propria rursum fit attributio. nam dicitur quidem caput animalis caput, haud uero etiam animal capite animal. sunt enim animalia quædã quæ capite careant, ut cancer, uermes, terræ intestina. Ergo quod maius est rursum minuas oportet, animal inquam, ac facias capitatum, seruabiturque hoc pacto Antistrophe. nam caput capitati caput, & capitatum ca-
H pite capitatũ. Igitur in aui quod minus est auximus, auem inquam. in alijs uero maius diminuimus, nauigium dico & animal.

37 *Aliquoties autem forte & nomen fingere necesse erit, si non fuerit nomen impositum ad quod conuenienter assignetur: ut temo si assignetur nauigij, non est assignatio conueniens. neque enim in eo quod nauigium est, in eo ipsius temo dicitur. sunt enim nauigia quorum temones non sunt. quare non conuertitur. nauigium enim non dicitur temonis nauigium. Sed forte conuenientior assignatio erit si sic quodammodo assignetur, temo temonatæ rei temo est, aut quomodocunque aliter. nomen enim non est positum: & conuertitur si conuenienter assignetur. Temonatum enim temone temonatum est. Similiter autem & in alijs: ut caput conuenientius assignabitur capitati caput, quam si animalis assignetur. neque enim in eo*
I *quod est animal, caput habet. Multa enim animalia sunt capita non habentia.*

Quandoq; uero & nomina fingere necesse forsitan fuerit, nisi positum nomen sit ad quod Germane fieri attributio possit? Ne enim dixerit quispiam, quid ergo? Nouare conuenit nomina? & unumquodque ut cuiquamlibet confingere? sic igitur usum omnem nominum aboleri continget, singulis pro arbitrio nouas nomenclaturas inuehẽtibus. ac, quod reliquum est, inaudita & quæ nihil significent quisque loqui uidebitur, pro homine uerbi gratia capitatum dicens, pro nauigio clauatum, aut quouis aliter modo noua cuderit nomina. Ad hoc igitur nihil inquit graue esse, si quibus in didijsse nomina minus usus curauit, illis nos ipsi excogitemus. quæ enim usus noscit communis, nomina illis accõmodat. at artes nouarum ceu rerum inuentrices, imponere inuentis nomina ad eas significandas debent. Geometra exempli causa cũ triangulum alium duo tantum habere æqualia latera, alium tria æqualia, alium tria inæqualia repererit, primum æquipedem, alterum æquilaterum, tertium scalarem nominauit. Similiter & musicus diuersis sonis sua statuit nomina, uocatque alium chromaticum, alium diatoni-

cum, aut aliter quomodolibet. Quoniam ergo talibus decernere K nomina & hic consuetudo neglexit, nos ea ponere necesse est. uocauit quidem consuetudo nauigium, non uero etiam clauum habentia ab ijs quæ clauo non gubernantur distinxit nominauit animal, non adhuc uero capite prædita a carentibus appellatione disiunxit. proinde absurdum uti diximus nihil est, aucupari in talibus nomina. Quo autem pacto atque unde imponere ea conueniat, ipse deinceps aperuit, cum ait.

Sic autem fortasse facillime quis sumet quibus po- 38 *sita non sunt nomina, si ab ijs quæ prima sunt, & ijs ad quæ conuertuntur, nomina ponantur: ut in ijs quæ prædicta sunt, ab ala alatum, a temone temonatum. Omnia igitur quæ ad aliquid dicuntur si conuenienter assignentur, ad conuertentia dicuntur: quoniam si ad quodlibet aliud assignentur, & nõ ad id ad quod dicuntur, non conuertuntur.*

Sic uero quisquã fortasse nomina quibus posita non sunt sum-
psisse potest facillime, si a primis ea ad ipsa quoque reciprocanti- L
bus imponat. Nunc regulam nobis tradit qua nomina si in communi non comperiantur usu, apposite fingere poterimus. Oportet enim inquit a primis ac proprie prædicatis denominatiuum illis nomen de quibus prædicantur imponere. atque hoc modo reciprocare ipsa inueniemus. Vocemus uerbi gratia a clauo nauigium, de quo clauus prædicatur. clauatum. & a capite, caput obtinens animal capitatum, similiterque in alijs. Atque hæc rursus dolose pronunciat, finitionem labefactere nimirum cogitans. Si enim ad aliquid sunt ea quæ aliorũ esse dicuntur, erit & caput, & clauus, & penna ad aliquid, quod est absurdum. nam hæc uti substantiarum quidem partes, ad aliquid dicuntur esse. pars enim est totius pars. & totum, partibus totum. ut uero penna, uel clauus, uel caput, non ad aliquid, uerum substantiæ sunt: quippe singula hæc per se ipsa spectantur. Nam si a toto caput, aut manum desecueris, nihilo minus caput uocatur & manus, non partes tamen præterea dicuntur: siquidem consideratur in toto pars. at relatiuis si illud ad quod dicuntur dempseris, simul statim & propria nomina tolletur: ut pater, filij dicitur pater. uerum si filium sustuleris, patrem quoq; esse simul patri adimetur. At quæ dicuntur aliorũ, quanquam priuentur illis quorũ esse perhibentur, propriam nihilo M minus nominationem seruant: ut caput, animalis dicitur caput. ac si ablatum fuerit, animalis nihilo minus caput uocatur. clauus autem nauigij, & penna auis, ijs priuata quorũ esse dicuntur, nihilo minus sunt propriam rursus nominationem sortita.

Dico *autem quoniam neque eorum quę in confes-* 39 *so ad conuertentia dicuntur, & nomina eis posita sunt nihil conuertitur si ad aliquid eorum quæ sunt accidentia assignentur, & non ad id quod dicuntur: ut seruus si non domini assignetur, sed hominis, uel bipedis, uel cuiuscunque talium, non conuertitur. neque enim dici potest homo est serui homo. non enim conueniens est assignatio.*

Dico *autem ne eorum quidem quæ ad conuertentia proculdubio dicuntur etsi posita ipsis nomina sint, reflecti ullum, si ad aliquod accidentium, & non ad ea ad quæ dicitur assignetur?* Hinc argumentatio a maiore. Quid enim inquit mirum, nisi in prædi-

cis

A *cis conuersio, propterea quod non proprie assignatio sit facta, seruetur? quando ne ea quidem quæ ad aliquid consensu omnium sunt, dicuntur que ad conuertentia, nec positis carent nominibus, reflectuntur, nisi conuenienter facta assignatio fuerit. exempli gratia, nisi dominum ad seruum quisquam, sed ad hominem assignauerit, dicatque dominus hominis dominus, non poterit retorquendo dicere homo domini homo, est enim hoc ridiculum: nam dominum quidem dicere hominis dominum, haud sane graue est: hominem uero domini hominem appellare, absurdissimum. Quoniam igitur nõ propria & in his facta est attributio, neque obambulatio seruatur. quippe non ad æquale assignationem fecimus: cum homo amplius pateat. Itaque exæquari mutuo ut diximus debent reciprocantia, quo etiam conuertantur. eo enim et propria ad ea quorum propria sunt, quoniam & inter sese exæquantur, commeant. Hæc ipsa uero edisserit omnia, nimirum finitioni opitulans dicenti, quæ sunt ad aliquid, eo esse quod aliorum dicantur. ac conuerti secundum hanc finitionem quæ sunt ad aliquid ostendere conatur: quam uult quoad fieri potest communire: ne eam damnare indicta causa uideatur. deinde post eam iure confutare: utique ostendens uel*
B *post tantum patrocinium, complura tamen haberi quæ ipsam comitentur incommoda.*

40 *Si tamen conueniẽter assignetur ad quod dicitur, omnibus alijs sublatis quæcunque accidentia sunt, relicto autem solo illo ad quod assignatum est conuenienter, semper ad ipsum dicetur: ut si seruus ad dominum dicitur, circuncisis omnibus quæ accidentia sunt domino, ut esse bipedem, uel scientiæ susceptibilem, uel hominem: relicto uero solo quod dominus est: semper seruus ad ipsum dicetur: seruus enim domini seruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id ad quod dicitur assignetur, circuncisis omnibus alijs, relicto autem eo solo ad quod assignatum est, non dicetur ad ipsum. assignetur enim seruus hominis, & ala auis,*
C *& circuncidatur ab homine esse dominum: non enim amplius seruus ad hominem dicetur. cum enim dominus non sit, neq; seruus est. Similiter & de aue, si adimitur eam alatam esse. non enim amplius erit ala ad aliquid. cum enim non sit alatum, nec ala erit alicuius. Quare oportet assignare ad id ad quod conuenienter dicitur. & si sit nomen positum, facilis erit assignatio: si autem non sit, fortasse necessarium erit nomen fingere. si autem sic assignentur, manifestũ est quoniam omnia quæ ad aliquid sunt ad conuertentia dicuntur.*

Item si congruenter assignatum ad id quod dicitur fuerit, alijs quæcunque accidentia domino sunt omnibus præcisis, ut esse bipedi, capaci scientiæ, homini, hoc autem solo nempe esse dominum relicto, seruus ad ipsum perpetuo dicetur. Regulam nobis tradit eorum quæ de aliquo proprie reddita sunt. ait enim. Quodcunq; pluribus fuerit appellatum nominibus, si aliud quidquam sit quod de horum nominum uno prædicetur, uelisque an proprie de illo dictum nomine prædicatum sit cognoscere, cæteris omnibus amputatis nominibus, subiectoque accidentibus, illo autem duntaxat ad quod assignatum prædicatum est relicto, si ipsum ad id reciproca-

re quod de eo prædicatur inueneris, prius illud apposite redditum D scito. neque enim reciprocasset, nisi adhibitum conuenienter foret. Exempli gratia, seruus si prodatur domini seruus, quandoquidem domino accidit esse homini, & bipedi, & scientiæ capaci, si hæc ab ipso omnia detraxeris, ac perinde quasi omnino non sint suppo sueris, dominumque esse reliqueris duntaxat, comperies nihilo minus proprie obambulationem fieri. dominus enim, serui dicitur dominus. Quod si nõ ad dominum seruus, sed ad hominem referatur, cæteris omnibus exuto homine, domino inquam, bipede, ac reliquis, haud seruabitur conuersio. dici enim reciprocando non potest, homo, serui homo. itaque non proprie seruus ad hominem assignatur. Si alia, inquit, quæcunque domino accidentia sunt omnia præcidas, ut esse bipedi, scientiæ capaci, homini. Nihil enim mirum est quod accidere hæc dixerit: quandoquidem possunt ad serui relationem accidentia, secundoque de ipso prædicata censeri. primus autem & per se dominus est. Eorum enim respectus quæ ad aliquid sunt, ut supra docuimus, ipse per se ceu non constans, quandoque esse in substantia, interdum in quantitate, uel quali, uel prædicamentorum alio quopiam indicat. Itaque non inepte quis duplo, quod ad aliquid est, cum in ligno uerbi gratia fuerit, accidisse lignum dicit. cum in lapide, lapidem. cum in superficie, uel in E tempore, tempus, uel superficiem: nimirum cum respectus per se cogitatione consideretur.

Videntur *autem ad aliquid simul esse natura: & 41 in plurimis quidem uerum est: in aliquibus uero non uerum. simul enim duplum & dimidium sunt. & cum sit dimidium, duplum est. & cum sit dominus, seruus est: & cum sit seruus, dominus est. similiter autem his & alia. Simul autem hæc auferunt sese inuicem. si enim non sit duplum, non erit dimidium: & si non sit dimidium, non erit duplum. similiter autem & in alijs quæcunque talia sunt.*

Videntur *autem quæ sunt ad aliquid simul esse natura. Atq; in plurimis quidem uerum idest: in quibusdam autem secus. Simul enim & duplex est & dimidium. Ac si sit dimidium, duplex quoq; est.* Aliud relatiuorũ post id quod est dici ad conuertentia consequens proprium tradit. nempe simul esse natura. Sed quonam pacto natura simul sunt relatiua? nam simul quidem natura sunt pater & filius, possessor uero & possessio quonam modo? Solutio. Quæ sunt F ad aliquid, non rerum naturam, sed quem ad aliud respectum habent contemplantur. Pater igitur non ut simul natura sit qua homo est habet, sed quatenus relationem ad filium obtinet. Sunt porro ea simul natura, quorum uno posito alterum quoq; inferri, & sublato tolli necesse est: & nunquam si alterum sit alterum non esse. simul enim ac seruum dixeris, herum simul necesse est mente concipias. & si duplum sit, necesse quoq; est esse dimidium. In plurimis autem esse uerum dixit, quoniam in alijs nonnullis est quæstionem allaturus, quæ simul natura esse nequaquam uidentur.

Non *aũt in omnibus his quę ad aliquid uerũ uide- 42 tur, esse simul natura. scibile enim scientia prius uidetur esse. nanque in pluribus, præexistentibus rebus scientias accipimus. in paucis enim uel nullo quisquam hoc perspiciet simul cũ scibili scientiam esse factam.*

Cæterum non *in omnibus quæ sunt ad aliquid uerum id uidetur quod est simul natura esse.* Affert ad quod dixit instantiam,

G nimirum quod est simul esse natura, competere ijs quæ ad aliquid sunt non omnibus uideri. Nam scientia & scibile, quanquam sunt ad aliquid, non simul tamen existunt. tollitur enim & scientia, subiatus scibilibus: siquidem hæc nisi sint, cuiusnam erit scientia? at si non sit scientia, scibilia esse nihil prohibet. nõ sunt ergo hæc simul natura, & ad aliquid sunt. Est uero ipsam prius duplex, tempore unum, alterum natura. prius id tempore est quod ab ipso nunc ab est longius, ut in præterito. Iccirco enim medica bella peloppone-
H siacis priora asserimus, quod a præsenti longius distent. prior enim crastino est dies perendinus. prius ergo tempore, id genus est. Natura autem prius est id quod secum tollit, nec simul tollitur: quodque non secum infert, sed simul infertur: uti res sese in animali habet atque homine. Videri itaque potest scibile scientia natura prius. non est enim scientia nisi scibile sit. at scientia quanuis non constet, esse tamen potest scibile. Sane Thaletem tradunt Milesium primum lunaris defectus causam animaduertisse, cum iunam a sole lumen mutuari intellexisset: propterea quod solis recessu augescens illustratam partem ad occasum habeat. sole tunc magis occiduo: eius uero cornua, & pars uacans lumine ad ortum uergant. Cum tota solem aduersum respicit, ab eo per diametrum absens, tunc splendescat uniuersa, tota toti soli aspectu incumbens. totam autem uoco, nimirum parte quoque eius nobis conspicua. At quando sese a coitu solis recipiens decrescere inceperit, tunc contra, pars lumine affecta ad orientem spectet, sole eo tempore magis ortum tenente. quæ autem luminis expers est, ac cornuum speciem præfert, ad occasum declinet. Hinc igitur lunæ deliquium animaduertit: quoniam ea cũ in terræ, ut uocant, obumbrationem inciderit, sole ipsi qui inferius hemisphæriũ perlabitur ad perpendiculũ opposito, absolutam defectionem qua ei ratione contingit perpetitur, solaribus in ipsam radijs nequaquam impingentibus. quo sane argumento id est, quod non nisi in solo plenilunio hoc accidit. Ergo si Thales lunarem defectũ nouit primus, scibile ante ipsum, lunarẽ inquam defectũ fuisse constat, eius uero scientiam nõ fuisse. Scibile igitur scientiæ apertum est & tẽpore & natura antetire: neq; simul esse hæc, quanquã sunt ad aliquid. Eodẽ modo nec sensus est ni sit sensibile. cuius. n. sensus erit? attamen nisi sit sensus, sensilia esse nil uetat. ut ignem, terrã, eiusq; generis reliqua {In paucis. n. quis utiq; aut in nullo simul cum scibili fieri cernat scientiam}
I Quoniam dixit, rebus enim magna ex parte præexistentibus scientias capessimus, nunc quid per magna ex parte sibi uelit exposuit, in paucis enim quis utique inquiens, aut in nullo simul cum scibili fieri cernat scientiam. hæc autem gratia eorum dixit quæ ab aliqua arte producuntur. hæc enim prius non erant: sed ipsum esse simul atque ex arte producta sunt habent. Nam antecedunt quidem scientiã res naturales. quæ uero ex ante conficiunt, ipsum esse simul cum earum habent scientia. Verbi causa excogitauit lectum quispiam, quem græci stibada uocant, ad dormiendum: hic scientia quoque ipsum esse simul cum scibili obtinet. Id uero etiam in figmentis uideas licet. nam simulatque commentus Chimæram fueris, phantasma quoque seu uisum Chimeræ una cum eius exultauit scientia. Pictor quoque eorum quæ primus inuenit simul cum pictura introduxit imagines. Et qui literas docuit primus, is simul cum rerum scientia literas inuexit. Sed cur uerba illa, uel in nullo, adiecit? An & hæc in rerum natura fuere, postea uero scientias adepta? At hoc maxime in mechanicis licet contempleris inuentis. quomodo graue quis uerbi gratia moueat pondus, aut aquam in sublime erigat, aut huius generis quidpiam: hæc enim atq; eius notæ alia simul cum eorum scientia constat esse inuenta. Fortassis uero & artificialibus contra ac naturalibus accidit. siquidem scibilia ipsa in naturalibus. ut dictum est, eorum scientia priora existunt. at in ijs quæ constant arte, scientiam de ipsis indeptione esse oportet priorem, dein scibile fieri. nam facta primum uidelicet de re assequenda excogitatio est, ac quomodo constare ea possit, tum deinde effectus excogitationis cõsequitur. Nisi illud quispiam dixerit, scientiam de naui priusquam facta nauis sit, etsi in primi inuentoris animo antecesserit, nondum tamen ut proprie scientia sit obtinuisse: cum tunc responsura ne excogitationis res sit minime pateat. forte enim ad imaginationem id usque præcessit duntaxat, cæterum haud egredi in opus ualet: quo pacto de Dædalo fertur fabula, quod alas fabricare sibiipsi & Icaro filio excogitauerit. Itaque scibile etiam ipsum quando simul cum eius scientia in opus prodierit, tunc scientia quoque re uera scientia proprie est, cum ambiguo nullo teneatur. Quare simul a se mutuo constitui scibile ac scientiam in artificialibus contingit. K

Amplius. Scibile sublatum simul aufert scientiam: scientia uero simul non aufert scibile. nam si scibile non sit, non erit scientia. nullius enim erit scientia. scientia uero si non sit, nihil prohibet esse scibile: ut circuli quadratura si est scibilis, scientia quidem eius nondum est, illa uero scibile est. 43 L

Præterea sublatum scibile secum tollit scientiam } Cum quod prius tempore est in scibili exposuerit (nam præexistentibus inquit magna ex parte rebus scientias adipiscimur) nunc in eodem rursus quod prius natura est explanat. nimirũ per hoc quod secum perimat scientiam scibile, non simul ab eo perimatur. quale est inquit & quadrangulatio circuli. Quadrangulum Geometræ capedinem uocant non quæ quatuor simpliciter latera, & totidem angulos, sed latera quatuor æqualia & rectos angulos obtinet. Ita uero & angulum rectum fieri aiunt. nam cum recta linea super directam lineam erecta interiores atque ad easdem partes angulos inter se æquales facit, rectus uterque est angulus. & quæ superstat ei cui imititur perpendicularis nuncupatur. est hic igitur angulus rectus. Acutus uero angulus est minor recto. obtusus eodem maior. nam inclinata ea quæ desuper recta incumbebat, alter maior, minor alter fit angulorum. Minorem igitur, ut dixi, acutum nominant, quoniam huic similes fiunt et acutæ moles quæ pungendo sunt, ut cultellus. maiorem autem obtusum. huius enim instar moles fiunt obtusæ, ut pistillum, ad dandam impressionem aptæ. Figuras uero alias rectilineas esse aiunt, alias orbiculares. rectilineas, triangulos, quadrangulos, sexangulos, & quotquot angulis excogitare alias possis: orbiculares autem circulos dicunt. Quærunt ergo Geometræ, quomodo super rectilinea data uerbi gratia quinquangula æqualem constituere quadrangulum liceat. & quidem id ratione ac uia docuerunt. Vt ergo in rectilineis quæsiuere, ita in circulo quoq; scrutantur, qui super circulo dato æqualem reperire possis quadrangulum. id multi quæsitum non inuenere: solus autem Archimedes inuentioni proxime accessit: sed exactam tamen rationem non comperit. Aristoteles igitur si scibile, inquit, quadrangulatio est circuli, nec dum est hactenus eius scientia, prius esse constat scientia scibile. Non solum autem natura priora scibilia quam scientia esse hoc probat exemplum, sed etiam tempore. nam cum scibile sit quadrangulatio circuli, de eo comperta est nondum scientia. Hoc uero subiunctum natura etiam prius esse scibile quam scientia demonstrat. M

Amplius.

A *Amplius. Animali quidem sublato non erit scien-*
44 *tia, scibilium uero plurima esse contingit. Similiter autem his sese habent ea quæ de sensu sunt. Sensibile enim prius quam sensus esse uidetur. Sublatum enim sensibile simul aufert sensum: sensus uero sensibile nõ simul aufert. sensus enim circa corpus & in corpore sunt: sensibili autem sublato aufertur & corpus. sensibile enim corpus est. cum autem corpus non sit, aufertur & sensus. quare simul aufert sensibile sensum. Sensus uero sensibile non simul aufert. sublato enim animali sensus quidem aufertur: sensibile autem erit corpus: ut calidum dulce, amarum, & omnia alia quæcunque sunt sensibilia. Amplius. Sensus quidem simul cum sensitiuo fit. simul enim fit animal & sensus: sensibile uero ante animal aut sensum est. ignis*
B *enim & aqua & alia huiusmodi, ex quibus ipsum animal cõstat, ante sunt quam animal omnino sit, aut sensus. quare prius sensibile quam sensus esse uidebitur.*

Item animali interempto non erit scientia } Superius in uno ad aliquid relatorum exemplo, scibili inquam, cum consequens claudicare ostendisset, uniuersaliter nunc in omnibus demonstrat. sublato enim inquit animali, scientiæ quoque adimuntur. Sunt enim in animo scientiæ. sunt per se tamen nihilo minus scibilia. quamobrem & quæ in sensu sunt, esse primum uidentur. Cum itaque in scientia & scibili rationem examinauerit, nunc in sensu meditatur ac sensili. docetque iisdem uerbis prius esse sensu sensibile. secum enim sensum tollit sensibile: at nõ tollitur sensibile simul cum sensu. sunt enim sensus in animali: animal autem corpus animatum est: sensibile uero est omne corpus. quapropter necesse est perdito sensibili & corpus aboleri: neque esse animatum abolito corpore. quod nisi animatum sit, neque animal esse: neque sublato animali sensum. ipsum enim esse obtinet sensus in animalibus. Itaque sublato sensibili, neque erit sensus, uti ostendimus: quandoquidem esse ipsum habet in corpore sensus omnis, circumque id
C solum spectatur. effugere enim sensum omnem incorporea, cum neque sub sensum cadant, neque capacia sint sensus. quanquam non etiam reciprocat ratio. non enim perempto sensu interimitur & sensile. Quamobrem? quoniam animal omne, animatum est: omne animatum corpus: non omne autem corpus iam & animatum est animal, sed omne corpus sensibile. Quo fit ut uel intermortuo animali nihil alia esse uetet complura, ut ignem, aquam, terram, dulce, amarum, ac similia. Ergo probatum ex his est priora natura esse sensibilia sensibus. quoniam secum sensus interimunt, non illa cum sensibus perimuntur: & inferuntur quidem simul cum sensibus, ipsos autem non secum inferunt. Cæterum cum etiam dixerit {Sensus simul cum sentiente fit} Argumentationem facit a maiore, atque eo quod attinentius ad sensibile redditur, sentiente inquam. sentiens enim sensibilis sentiens. Porro sentiens est quod particeps est sensus. Quid igitur dico? nempe quod sensibilia affirmet priora sensu existere. quandoquidem sentiens (animal intelligo) qui cum fieri sensum natura uoluit, esse ipsum habet ex sensibilibus, igne inquam, & aqua, elementisq; reliquis. quod autem ex aliquo, ac uelut ex materia potissimum fit, illo ex quo fuit conditum, & natura posterius & tempore est. quare potest sensibile inquit esse sensu prius uideri. Atque hactenus ipsi quidem progreditur dubitatio. Cæterum dictarum instantiarum solutionem non addidit. Dicendumque ad hæc, duplici quæ ad aliquid sunt ratione intelligi, uel uti res ipsæ per se absolutæ, uel ut in mutua quadam relatione coniunctæ, ut pater ac filius. Nam si patrem in ijs nouerimus ut Sophroniscum, filium autem ut Socratem, prior erit Socrate Sophroniscus. est enim Sophroniscus prior, nobis ceu res ipsos intelligentibus. quod si uelut patrem ac filium ceperimus, medio carebunt, respectu deuincta. Sic ergo & scientiam & scibile si perinde atque res consideraueris, prius scibile est quam scientia. sin uero ut respectum, hæc simul subsistunt. neque enim scibile esse aliquod potest nisi sit circa ipsum scientia. exempli causa sidera, quæ scibilia sunt, si uelut res accipiantur, uersante circa ea scientia erunt priora. si tanquam ad aliquid sint, ut scibilia inquam, hæc cum scientia de ijs simul erunt. nam nec scibilia esse possunt nisi de ipsis scientia sit, ex qua denominatiue etiam dicuntur. nam quonam scibilia forent? est enim scibile scientia scibile. ergo non constante scientia, quomodo illa ex ea quæ non sit denominationem habebunt? uerum ut res quidem sunt, ut scibilia uero non item. Eadem quoque de sensu ac sensili dicemus. Quin & aliter soluas, E
Cum rerum quædam potestate, quædam actu sint: potestate habentur ea quæ aliquid esse natura idonea sunt, nondum sunt tamen. actu uero quæ naturalem etiam potestatem actu ostenderunt. uerbi gratia actu quidem, est consumatus grammaticus cui nihil ad artem grammaticam deest. potestate, ut puerulus cui facultas suppetit ut grammaticus fiat. In omnibus quoque quæ ad aliquid sunt, ut sese habet alterum, ita & reliquum habebit. nam si hoc actu sit, erit & alterum actu: si hoc potestate, & illud potestate erit. Cum igitur scibile uel sensile actu fuerit, erit actu scientia quoque & sensus: si sint potestate illa, erunt & hæc potestate. Siquis ergo lunarem defectum ante Thaletem, ut scibile excogitasset, erit potestate scibile, & non actu. & uero huius scientia prorsus & hæc potestate adinuenietur. Nam si lunaris deliquij ante Thaletem non fuisset scientia potestate, utiq; in actũ eius tempestate non prodijisset. quod enim prius, ut fieret facultate caruit, id fieri prorsus nequit in posterum. quo nanque modo equus, cum facultate ut sit grammaticus careat, nunquam fiet actu grammaticus, ita si lunaris defectionis ante Thaletem scientia non fuisset potestate, certe neque Thaletis ipsius temporibus in actum prouenisset. uerum cum eius tempore constiterit actu scientia, scibile quoque actu id est lunæ deliquium factum est. eadem etiam in sensu ac sensili pronunciabimus. Et uero nunc circuli quadrangulationem, si inueniri nunc queat, potestate scibilem esse constat, eiusque scientiam potestate futuram. quod si reperiri eam ab hominibus liceat nunquam, neque erit scibile facultate. sed est quidem ceu res, scibile uero ne potestate quidem est: quemadmodum nec hominibus scibilis arenæ potestate est numerus. Hac porro ratione difficultatem quoq; illam soluemus quæ a legum peritis nobis obijcitur. affirmant quippe illi seruum esse qui hero careat: uelut siquis moriẽs inquiunt, legando dicat, Talis si hoc fecerit, seruũ hunc meum familiaremq; habeto. ecce hic igitur, aiunt, nulli addictus domino seruus est quoad iussum hæres nõ exequitur. Itaq; difficultatem uel hoc loco per potestatem & actũ solui arbitramur. nam neq; dominus ille actu est, neq; hic seruus, sed uterq; facultate. postea uero quã mandatũ hæres fecerit, et dominus actu euaserit, tũc et qui relictus familiaris est, fiet actu seruus. Qua de re integer sermo est qui in oĩbus relatiua inquit simul natura esse. D

Videte etiã pro hoc ipsum Simpli. 2. physic. in expositione tex. 38. F

G Habet autem dubitationem utrum nulla ſubſtan-
45 tia ad aliquid dicatur, quemadmodum uidetur: ſi hoc contingat ſecundum quaſdam ſecundas ſubſtantias. Nam in primis ſubſtantijs uerum eſt. nam neque tota, neque partes primarum ſubſtantiarum dicuntur ad aliquid. nam quidam homo non dicitur alicuius quidam homo: neque quidam bos, alicuius quidam bos. Similiter autem & partes. quædam enim manus non dicitur alicuius quædam manus, ſed alicuius manus. & quoddam caput non dicitur alicuius quoddam caput, ſed alicuius caput. Similiter autem & in ſecundis ſubſtantijs. atque hoc quidem in pluribus: ut homo non dicitur alicuius homo: nec bos alicuius bos: nec lignum alicuius lignum, ſed alicuius poſſeßio dicitur. in huiuſmodi ergo manifeſtum eſt quoniam non ſunt ad aliquid. In aliquibus uero ſecundis ſubſtantijs
H habet dubitationem: ut caput alicuius, caput dicitur. & manus alicuius dicitur manus: & ſingula huiuſmodi. quare hæc fortaſſe ad aliquid eſſe uidebuntur.

Cæterum dubitationem habet} Abſoluta de ijs quæ ad aliquid ſunt ueterum finitione, eaque quo ad maxime licuit defenſa: deinde expoſitis quoque relatiuorum conſequentibus, cum propriam redditurus definitionem eſſet, abſurditatem prius quæ traditam ſequitur finitionem oſtendere hinc auſpicatur. Porro abſurditas eſt, ſecundarum ſubſtantiarum partes ſecundum proditam finitionem reperiri ad aliquid, hoc eſt ſubſtantiam in accidens commutari. nam decem prædicamentorum, ut diximus unum eſt ſubſtantia: nouem uero accidentis, ex quibus unum ad aliquid pertinentium eſt. Ergo ſi partes ad aliquid ſunt ſubſtantiarum, poſſe eaſdem & accidentia eſſe quis neget? ſin partes ſunt accidentia, totum quoque erit neceſſario: ſiquidem conſtat totum ex partibus. ſubſtantia igitur accidens erit: quo qui abſurdius?

Subſtantiæ diuiſio.

I

Subſtantia uniuerſalis. ceu homo.	Subſtantia particularis ceu Socrates.
Subſtantia ceu totum.	Subſtantia ceu pars.

Cæterum traditur hoc loco ſubſtantiæ nobis id genus diuiſio, Subſtantia uel uniuerſalis, uel particularis eſt: uel totum, uel pars. hæc igitur quatuor cum ſint ſegmẽta, coniugationes rurſum ſex fiunt: quarum duæ, ut ſæpe commonuimus, inconſiſtentes ſunt: nimirum quæ contraria coniungunt: non poteſt enim idem & uniuerſale & particulare, & totum & pars eadem ratione eſſe. conſiſtunt autem quatuor reliquæ, ſubalternas dico, & per diametrum aduerſas. nam aut iunctum toti uniuerſale, ſimpliciter hominem facit, qui & uniuerſalis eſt. prædicatur enim de indiuiduis, atque ea complectitur, & quoddam eſt totum. ſiquidem totalitas ut ſic dixerim quædam eſt propriarum partium, ut animalis, rationaliſq;. Rurſus uniuerſale ſi parti applicetur, uniuerſalem partem conſtituit, ut ſimpliciter caput, & manum ſimpliciter. uniuerſale quidem, quoniam de particulari capite omni prædicatur aut manus: pars uero, quoniam animalis partium una quædam propria eſt. At particulare toti complexum, hominem quendam facit, ut Socratem, qui ob id particulare eſt, quod de nullo prædicatur. totum uero, quaſi partium ſuarum contentiuum. Porro iterum particulare ſi parti copuletur, caput conficit quoddam, aut quandam manum, ut Socratis. hæc nanque particularis eſt, quoniam ſolius Socratis, pars autem, quod in ſuipſius integritate ſpectetur. in hoc ſiquidem pars a particulari differt, quod ſit in pluribus particulare, pars uni competat ſoli. Harum tres inquit haudquaquam ad aliquid cenſueris, una autem, quæ uniuerſalis eſt partis, ut caput, uel manus, quod ad redditam relatiuorum finitionem attinet, uideri ad aliquid poteſt. Ac quod prima inquit non ſit ad aliquid ſubſtantia, clare dilucet. nõ dicitur enim Socrates alterius cuiuſpiam Socrates eſſe. Verum neque eius pars, particularis pars inquam, ut quædam manus, ne ipſa quidem eſſe ad aliquid poteſt uideri. nemo etenim manum quandam dixerit cuiuſdam quandam eſſe manum, quippe ridiculum eſt. Verum neque ſecundæ ea quæ uniuerſale ac totum connectit, homo inquam ſimpliciter. nemo nanque hominem cuiuſdam hominem, neq; bouem cuiuſdam bouem eſſe pro-
L nunciabit, ſed cuiuſdam eſſe bos & homo poſſeßio dicitur, homo uero cuiuſdam eſſe homo, & bos cuiuſdam bos, non item. Quæ igitur uniuerſale inquit & partem duntaxat iungit, ea ex aßignata definitione ad aliquid eſſe apparebit, ſimpliciter caput dico, & manum ſimpliciter. nam caput cuiuſdam caput, & manus cuiuſdam dicitur manus. Mihi uero particulare quoque & pars eſſe uidetur ad aliquid, caput quoddam dico, & quædam manus, quantum ex finitione præmiſſa cõceditur. Si enim eſſe illa dicuntur ad aliquid, quæcunque ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorũ dicuntur, non pars modo uniuerſalis ut ſimpliciter manus ſimpliciter hominis eſſe dicitur, uerum & quædam manus cuiuſdam eſſe hominis perhibetur. dicimus nanque hanc eſſe Socratis manum. eſtque hoc tum conſuetudo loquendi communis, tum antiquorum uſus refertus. dicimus enim manu mea ſcripſi, huius manum aut caput cecidit, ca-
,, put illius tale, ac tales ſunt manus, & hæ manus Aegei. & Con-
,, tremuere pedes manantis fontibus Idæ. & a Iouis haud caput annuit. Quapropter & particulare & pars alicuius eſt pars. erit ergo id quoque ad aliquid. Quod autem uſum in dictione eſt ſequi incommodum facile eſt ſoluere. neque enim dicere eſt neceſſe
M quandam manum cuiuſdam quandam manum eſſe, quoniam nec uniuerſalem manum uniuerſalis cuiuſquam nominamus, ſed hominis manum. ſic ergo & manum quandam cuiuſdam uocamus ut Socratis, præfinitione non addita. Duæ igitur deſcripti partes propoſiti uniuerſalis pars & particularis pars erunt ad aliquid, uſque ut dixi eueniet in accidens tranſire ſubſtantiam. Hoc ergo abſurdum inquit, partes inquam ſubſtantiarum nõ eſſe ad aliquid, ex ſupra relatiuorum finitione edita aut ſoluere prorſus nõ licet, aut non facile. Itaq; finitionem traditam per abductionem ad incommodum percellit hoc pacto. Eſt autem ad incommodum abductio, ut cũ demonſtrare quidquam uolẽtes huius acceperimus oppoſitum, atque huic abſurdum aliquod conſequens eſſe oſtenderimus, deinde ſimul intulerimus ex hoc ea de re ſequi abſurdũ quod falſa data propoſitio fuerit. ueram enim propoſitionem nullam aliquod comitatur incommodum. quod ſi falſa hæc ſit propoſitio, huic ergo oppoſita uera erit, ut quid inquam? Si immortalem eſſe animam aſſerere libeat, contrariam huic ꝓpoſitionem ſumimus, quæ dicit mortalem. deinde abſurdum quoddam ex ea ſequi oſtendimus,

A dimus, ut contrarium hoc pacto confirmemus. Ergo ſi ſit mortalis anima, non erunt quæ apud inferos geruntur iuſtiora, ſed ad id uſque quod apparet nobis uita conſtat, ſimulq; anima cum corpore interit. Non erit igitur neq; operum compenſatio bonorũ, neq; luenda malorum pœna. Si nanq; in angoribus afflictionibuſq; iuſtos complures traducere uitam omnem cernimus, peccatores autem e uita plurimos celebri gloria atq; opibus affluentes exceſſiſſe, nec poſt hac in uita geſtorum ulla quæſtio eſt, circuncluſa ad id uſq; ſolum hominum uita, nemo igitur paria meritis accipiet, neq; erit prouidentia. Si enim principe bono ciuitatẽ adminiſtrante, ordine geri cuncta in ciuitate uideas licet, honeſtari donis ac dignitatibus bonos, malos infamia notari, atq; in ſupplicijs agere, quanto magis bono per eſſentiam Deo qui omnia obtutu uno incognoſcit, ac rebus prouidet uniuerſis, nihil in rebus humanis euenire abſurdum? Non erit igitur prouidẽtia, niſi eorum ſit quæ uiuentes egimus ratio reddenda. hac uero abſurditate quid magis impium? nam niſi erit prouidentia, nihil quod ſit, ordine conſtabit. quod enim citra prouidentiam fit, temerarium id eſt, nulloq; ordine digeſtum: perinde atq; caſu ac fortuito feratur. Cæterum
B quod non caſu uita conſtet, aut forte regatur, hinc diluceſcit. Rariſſima ſunt quæ caſu uel fortuna euenium, atq; ex alijs ſequuntur. naturaliumq; motuum caſualia, fortuita conſultoriorum ſunt conſequentia. Delatum eſt uerbi gratia ſaxum quodpiam ſuperne naturali impetu deorſum ruens: terræq; alliſum, ac confractis partibus circa id eminentioribus, idoneum ſeßioni redditum eſt. Commodum igitur ſeßioni euaſiſſe, caſu factum eſſe dicitur: quoniam conſecutum eſt naturalem ſaxi ad inferna impetum. raro autem ſuperne deuolutus lapis ad ſedendum fit aptus. Equus rurſum in bello deturbato domino potum accurrit ſiti confectus: atq; commiſſo prœlio, cæſoq; cum omnibus domino ſeruatur. caſu igitur ſuperſtes equus perhibetur fuiſſe. at equus in bello dominum raro enter excutit, eaque de cauſa ſeruatur. Rarum etiam eſt id quod fortuito accidit, ac conſultorias appetitiones comitatur. Lauatum abijt quiſquam exempli cauſa, uel ſupplicatum dijs: atq; uenalem librum quem diu quæſiuerat offendit coemitq;. hoc forte fortuna accidit, non enim ex quaquam prouidentia, neq; locum eum adiens ubi uenundari ij ſolent librum comparauit. id uero etiam rariſſimum eſt. Sunt ergo quæ caſu fortunaq; contingunt infrequentiſſima. artificialia uero ac naturalia, demum quæ ex prouidentia proficiſcuntur, ex eorum numero habentur quæ ut plurimum, ſiue etiam in totum fiunt. Finem enim aſſequuntur proprium materiarius faber atq; edificator maiore ex parte quam eodem frustrentur. magiſq; ſanat medicus quam non ſanet. nam ſi perinde ſanaret non ſanaretq;, utiq; a nullo accerſiretur: ac magis item ſi rarius ſanaret. Et uero infantem quinquedigitum crebrius quam ſedigitum creat natura: idque ob materiæ redundantiam. Luna cõgreſſu cum ſole perpetuo minuitur: indidem recedens augetur. Sol nunquam non capricornum tenens, hybernũ ſolſtitium parit: cancrum peruadens, æſtiuum: neq; aliter alias. Surſum quoq; ſemper ignis fertur. aqua fluit deorſum. pariterq; in omnibus tum artefactis, tum naturalibus, ac deniq; ijs quæ ex prouidentia ueniunt id quod ſemper atque ut plurimum eſt licet nec contrarium unquam uidere. Apertum eſt itaque nec mundum caſu, nec eius partes conſtare. atque ſi ita ſit, cauſam eum habere quampiam uidelicet quæ ipſi præſideat, mundanaſque res concinno ordine diſponat, quam prouidentiam uocamus. Ergo ſi ſit prouidentia, neceſſario quilibet pro dignitate tractabitur. quod ſi uerum eſt, cernimus autem utidam diximus multos contraria eorum, quantum ex apparentibus iudices, quæ hac in uita gerunt ſuſtinere. igitur non ad uitam hanc D uſque circumſcripta eſt hominum uita. Quamobrem erit ab hac uita quæſtio de ijs prorſus aliqua quæ uiuentes tractaminus, in qua retribuet cuique pro meritis prouidentia. Hoc ſi ſit, immortalis igitur anima eſt, nec commoritur corpori. permaneat enim oportet ipſa ſoluente ſi corpore, nec corrumpatur, ut poſt hanc uitam quæ ipſi pro dignitate debentur accipiat. Itaque hoc loco contemplare quonam pacto immortalem oſtendere uolentes animã, propoſitionem huius contrariam ſubiecimus, quæ immortalem eſſe pronunciat: aperuimuſque quoddam ex ea ſequi abſurdum, nimirum importari ex hoc prouidentiam non eſſe, atq; ac ratione immortalem aſſeruimus. Si enim qui mortalem animam dicit incommodo urgetur. ueram autem propoſitionem comitari incommodum nullum poteſt. falſa igitur hæc eſt, contraria autem huic uera, quæ immortalem eſſe affirmat. Verum nanque ex neceſſitate id eſt quod falſo obiacet. Hæc itaque deductio eſt ad incommodum, quam uel hoc loco uſurpat Philoſophus. uult enim ipſe ad aliquid ſe habentia eo quod aliorum ſint obſignari. ſupponit autem huic contrarium, quod alijs uidetur, nempe ex eo quod ipſa aliorum dicantur figuram adipiſci. ſupponit uero id, ac conſequens abſurdum demonſtrat. eſt autem hoc, ad aliquid ſecundarum E partes quoque ſubſtantiarum eſſe. nam & ipſæ aliorum dicuntur. atq; hac ceu falſa opinione hunc in modum reiecta ſuam confirmat. ſic pote autem dicta concludens inquit.

Si igitur ſufficienter eorum quæ ſunt ad aliquid 46
diffinitio aßignata eſt, aut omnino difficile, aut impoſſibile eſt oſtẽdere quod nulla ſubſtantia eorũ quę ſunt ad aliquid dicitur, ſi autem nõ ſufficienter, ſed ſunt ad aliquid quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodammodo ſe habere, fortaſſe aliquid contra iſta dicetur. Prior uero diffinitio ſequitur quidem omnia ea quæ ſunt ad aliquid, non tamen in ipſis idem eſt cũ eo quod eſt eſſe ad aliquid, ipſa quæ ſunt aliorum dicantur.

Itaque ſi finitio deprompta ſufficiat relatiuorum, aut difficilium admodum, aut impoßibilium eſt nullam ad aliquid dici ſubſtantiam oſtendere} Hoc autem difficillium admodum eſſe propter ea dixit, quod defendi quodammodo nonnulla poſſe uideantur. dicebat enim finitio ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorum dicuntur. Caput igitur ad aliquid eſt, non ut caput, uel corpus, ſed ueluti pars. nam pars totius eſt pars. ſed uerum hoc non eſt. ſiquidem caput, non quoad pars alterius dicitur, ſed in hoc ipſo quod caput ſit. Quamobrem ſi editam ſupra finitionem attendas, quæ dicit inſculpi eo relatiua quod aliorum dicantur, partes quoque ad aliquid reperiri ſubſtantiarum. nam & caput alicuius caput dicitur. Quo circa finitio attributa relatiuorũ abſurditatem hanc effugere nullo modo poteſt. eam enim ob rem quoniam admodum difficilium dixit, & impoßibilium addidit, inexcuſabilem nempe abſurditatem oſtendens} Sin minus ſufficiat, ſed ea ſunt ad aliquid quibus ipſum eſſe perinde eſt atque quodam pacto ad aliquid ſe habere} Nunc finitionem relatiuorum propriam exponit, atque inquit, Sin minus ſufficiat, hoc eſt, ſin ſatis nequaquam faciat, nec integra ſit nobis data a ueteribus finitio relatiuorum, ſed ea ſunt ad aliquid quibus ipſum eſſe perinde eſt atq; quodam pacto ad aliquid ſe habere. id eſt quibus in hoc eſſentiæ cardo eſt quod adnixũ ad aliud quendam recipiant, forte ad hæc inquit dici aliquid poßit. ad quænam hæc fortaßis dici poſſe pronunciauit? nimirum ad proditas

G difficultates. quoniam partes quoq; substantiarum ad aliquid esse opinantur. si enim sic inquit finitio sit uti nunc edidimus reddita, obiectis occurrere absurditatibus facile possumus. qui autem sit occursus ipse subiunxit {Prior autem inquit finitio relatiua quidem comitatur omnia, non hoc ipsis tamen relatiuis est esse quod ipsa ea quæ sunt aliorum dicantur} Non enim si quid, ait, alterius dicitur, huic ipsum quoque esse in eo est quod dicatur ad alterum. nam si alterius est quidquam, id alterius quoq; dicitur: at non si dicitur alterius aliquid, hoc & alterius iam est. pater nanq; cum filij sit pater, ipsum in hoc esse habet quod filij pater sit. & uero pater etiam filij dicitur. cæterum caput cum animalis caput nominetur, non ipsum quoque in hoc habet esse quod dicatur animalis. nam & abscissum, animalis præterea & dicitur & est caput. at pater a filio seiunctus, neque pater est, neque insuper ad filium dicitur. Quamobrem pronunciatum iure est priorem consequentem relatiuis finitionem esse, priori autem secundam non item: id quod uel Homerus docet.

Amplius haud posthac humeris caput insit Vlyssi.
Nec me Telemachi patrem quis nomine dicat.

H Cum enim pater haue præterea sit, quoniam nõ amplius est, neq; potest uocari. Quapropter ipsum dici et quod est esse consequens est, nec uice obuersa. hoc uero si ita habet, partes ergo substantiarum cum esse aliorum dicantur, ad aliquid hac ratione erunt. Illud uero quærendum, quid sit quod ijs quæ ad aliquid sunt finiendis, quæ ad aliquid se habent assumpserit. cum dicat quodam pacto ad aliquid se habere. neq; enim includi finitioni conuenit quod finitur. Ad hoc itaque duplicia esse affirmamus quæ alio referuntur. dicuntur enim tum res ipsæ ad aliquid in quibus relatio fit, tum uero ipsa relatio. quo etiam modo prædicamentum ubi ac quando res ipsas quidem, substantiam inquam & tempus aut locum significant: indicant uero et relationem ipsam nudamq; quam ad tempus aut locum substantia obtinet. Quandoquidem res igitur sunt relatione illustriores, ut quæ sensibus pateant, eas iccirco in finitione accipit, ut præceptionem ex clarioribus conficeret.

47 Ex his autem manifestum est quod si quis aliquid eorum quæ sunt ad aliquid, definite sciet, & illud ad quod dicitur, definite sciturus est. Manifestum igitur & ex ipsis est. si enim nouit aliquis hoc quod ad aliquid est (est autem esse ijs quæ ad aliquid sunt, idem ac ad aliquid aliquo modo se habere) & illud nouit ad quod hoc aliquo modo se habet. si enim non nouit omnino ad quod hoc aliquo modo se habet, neque si ad aliquid hoc aliquo modo se habet, noscet. Sed & in singulis palam hoc est: ut si quid nouit quis definite quod duplum est, & cuius duplum est mox definite nouit. si enim nullius definitorum nouit ipsum duplum esse, neq; si sit duplum omnino nouit. Similiter autem & hoc aliquid si nouit quis quod melius est, et quo melius est statim definite necessarium est nosse. Propter hæc autem nõ indefinite hoc cognoscet quod hoc est peiore melius. suspicio enim hæc est, non scientia. nõ enim adhuc sciet exacte quod est peiore melius. si enim sic, accidit, nihil est deterius ipso. Quapropter palam est quod necessarium est si nouerit quis aliquod relatiorum definite, & id ad quod dicitur definite necesse est nosse. Caput uero & manus & eorum singula quæ substantiæ sunt, ea ipsa quæ sunt scirí definite possunt, ad quod uero dicantur nõ est necessarium scire. cuius enim hoc caput, uel cuius hæc manus sit, non est scire definite. quare non erunt hæc ad aliquid. Si uero non sunt hæc eorum quæ sunt ad aliquid, uerum erit dicere quod nulla substantia eorũ est quæ sunt ad aliquid. Fortasse autem difficile sit de huiusmodi rebus uehementer asserere, nisi id sæpe pertractatum sit. dubitasse autem de horum unoquoq; non est inutile. K

I Est uero ex hisce compertum, siquis relatiuorum præfinite quodpiam norit, eum illud certo quoq; ad quod dicitur sciturum} Cum propriam relatiuorum finitionem assignauerit, quoddam Geometrarum more colligit ex ea corollarium. Porro corollarium illi uocant quod cũ alterius rei demonstratione reliquum collocescit. quemadmodũ superius animæ nobis demonstrare immortalitatem studentibus, simul esse apparuit prouidentiam. Et nobis igitur finitionem relatiuorum hic ueram quærentibus, hoc simul enituit, nimirum si relatiuorum quis definite alterum agnouerit, definite ab eo scitum iri & alterum. atque si teneat alterum inde finite, reliquum quoque indefinite cogniturum. Siquis enim patrem esse nouit Sophroniscum, idem quoque filium esse Socratem intelliget. nam nisi Socratem norit ut filum, neq; an pater sit Sophroniscus cognouerit. Nonnulli uero ad hoc aiunt, siquis toto obuelato corpore caput tantum nudum exerat aut manum, in hoc partem quidem uerbi gratia manum, uel caput certo agnosci licere: quippe partem omnino esse nouimus: cuius tamen sit pars haud quaquam dignosci. non ergo inquiunt, qui definite alterum agnouit relatiuorum, definite & alterum intelliget. Verum præfinite nos cognoscere quidem dicimus, ut caput uel manum: non uero definite etiam, ut partem, sed indefinite. non enim cuius sit pars intelligimus. Vt autem scimus hoc infinite, sic & id cuius pars est infinite cognoscimus. Cæterum potest hoc etiam quasi supra citatas dubitationes soluens addidisse. Quandoquidẽ enim ad aliquid quæ simul natura non essent nonnulla esse affirmabat, quippe antecedere scibili scientiam, & sensum sensibili (nam plerunque rebus inquit præexistentibus scientias comparamus) huic igitur solutionem hoc loco inferens ait, si ea sunt ad aliquid quibus ipsum esse perinde est atque quodam pacto ad aliquid se habere, ergo ut se relatiuorum habet alterum, ita habere & reliquum sese est necesse. Quare si potestate scientia sit, potestate erit & scibile, sin alterum acto, erit actu & reliquum. uerum de hoc perfecte locuti iam sumus {Eodem modo si & melius esse definite hoc quidpiam nouit, necesse quoque est quonam id melior sit definite intelligat. Non indefinite uero intelliget esse hoc deteriore melius. Existimatio quippe id genus res est, nec scientia. Non enim exacte etiamnum deteriore esse melius nouerit} Qui enim quod melius sit de quoquam cognouit, debet is & quod melius, & cuius rei nomine melius sit distincte cognoscere. nisi enim qua in re melius sit intelligat, ne an melius sit quidem dignoscet. quomodo enim? cum differentiam nesciat qua melius esse illo perhibetur {Non indefinite uero intelliget esse hoc deteriore melius. Existimatio quippe id genus res est, nec scientia} Existimationem hoc loco obscuram infirmamque cognitionem uocat, quæ uelut opinatio est, quam græci Docesin nominant. Scientia uero cognitio est offendiculo carens, M

atque

A atque irrefutabilis existimatio. Quamobrem qui deteriore melius hoc aliquid infinite nec scite esse didicit, perinde quasi erroribus labefactatam cognitionem habeat, de omnium quoque deterrimo, materia inquam, quod melius sit aliquo suspicari posset quandoque, ignarus discriminis penes quid melius, & quo melius sit, quod est absurdum. Ex hisce igitur caput & manum partesque substantiarum omnes, quæ & ipsæ substantiæ sunt, non esse ad aliquid demonstrat: si præfinite cognoscere quidem ipsa sit, ea uero præfinite quorum esse dicuntur non sit necesse. ad aliquid enim uocabantur, quoniam ut eorum alterum noris, ita & reliquum necesse est dignoscas. Quocirca non sunt ad aliquid partes substantiarum} Cæterum de talibus acriter pronunciare difficile ei forsitan sit qui de ijs non identidem consideranerit. Inutile tamen haudquaquam est de eorum singulis dubitando disquisuisse} Philosophice admodum hoc loquitur. Quoniam enim manum & caput ut substantiam quidem dixit præfinite agnosci, ut partes uero infinite, nisi cuius caput sit, aut manus intelligatur, ea propter inquit, qui talia non admodum considerauerit, acriter hunc de ipsis pronunciare non oportere. non de his uero duntaxat, sed de reetiam qualibet minime conuenit, addubitare tamen de huiusce modi re bus ac difficultates persequi est necesse. nam facultatis initium difficultas, ac quædam ad disciplinam uia est. Hæc autem dicit, cum nos eius uerbis acquiescere nequaquam uelit, sed nos quoque ipsos quæ id genus sunt indagare, neque ab alio moueri. B

DE QVALI ET QVALITATE.

48 VALITATEM uero dico, secundum quam quales quidam esse dicuntur. Est autem qualitas eorum quæ multipliciter dicuntur.

Qualitatem autem eam uoco secundum quam quales esse quidam dicuntur} Hoc rursus loco de ordine qualitatis, inscriptionis causam, qualitatis diuisionem, ac specierum ordinem diuisionis perquirimus. Primum itaque de ordine. conspicuus autem ex supradictis is est, in quibus docebamus relatiuis ex eo anteponi qualitatis disputationem oportere, quod per se hæc ipsa spectetur, ad aliquid uero pertinẽtia ipsum esse in relatione ad aliud obtineant. Pluris autem ea fiunt quæ per se subsistunt ijs quæ ipsum esse per se ipsa non possident. Quodque sublato quali, simul quoque existens in eo relatio perimitur: ut albius, & calidius, discipulus ac præceptor, similiaque. quod si non sint relatiua, qualitatem omnem esse nil uetat. quippe relatiua subsistentiam prorsus non habere propriam, sed prædicamentis superuenire alijs diximus. uerum uti memorabamus, propterea quod relatiuorum Philosophus ubi de quanto disserebat meminisset, præceptionem de ipsis confestim facere habuit necesse, ne diu naturæ ipsorum ignorantia laboraremus. atque hæc quidem de ordine. Quid autem quod duplicem titulum præscribit de quali & qualitate, nec ut in prædicamentis alijs simplicem? Dicimus aliud quale esse, aliud qualitatem. Qualitas enim, uniuersalis ipsa qualitas est, a qua participantia qualia denominatiue nuncupantur, ut uniuersalis albedo, nigredo. Quale autem, corpus est particeps qualitatis, quodque ab ea denominatiue appellatur, ut album corpus, aut calidum. Est ergo intellectu solo comprehensibilis qualitas: quale autem cadit sub sensum. Quandoquidem igitur nomen est duplex qualitatis, uel quod ut ipsum per se solo intellectu consideratur, quale ipsum est qualitatis particeps, uel ut sensu perceptibile, duplicem quoque hac de causa inscriptionem fecit. Præposuit uero qualitati quale: quoniam utpote sensibile est notius. Semper enim a notioribus præceptionem exordiri conuenit. Dicere autem & aliter possis: nempe quod qualitas quoq; ipsa quale sit. nam de quali & qualitate communius prædicatur quale. quo fit ut qualitas quoque quale dicatur. Quo pacto & nomen communiter uerbi gratia de nomine prædicatur ac uerbo. tametsi enim de qualibus, non de ijs tamen uerba facit primum, sed qualitatis ipsius gratia disserit: ut oratio de ea perspicua uelut a notioribus fieret. Diuidit uero qualitatem in species quatuor: quarum primam habitum, & dispositionem uocat: alteram potentiam, & impotentiam: tertiam passiuas qualitates passionesque: postremam uero figuram ac formam. Cæterum ut intelligamus cuiusnam rei gratia qualitatis species quatuor duntaxat, neque plures pauciores ue sint, ac quam ob causam in huiusmodi eas digesserit ordinem, qualitatis diuisionem quandam faciamus. Est ergo uel per potentiam, & impotentiam, uel per actum qualitas. per potentiam, ut puerulus est facultate grammaticus. Per impotentiam, ut æquus qui impos est percipiendæ grammaticæ. Sin per actũ sit qualitas, aut perfectiua est, aut depraua tiua subiecti, aut nec perfectiua nec depraua tiua. ac si perfectiua quidem depraua tiua ue sit, aut affectum in nostro nequaquam sensu generat, aut generat. Atq; si affectum non generet quidem, ægreq; amittatur, habitus: sin facile, dispositio nominatur. Sanitas exempli causa & animi uirtus actu & perfectiua est, nullumq; affectum inuehit. morbus & uitium deprauat. Perficiunt enim subiectum sanitas & uirtus, quoniam & secundum naturam sunt. neque ingenerant affectum, quippe sensibus nullis succumbunt. nisi forte consequentia sanitatis memores, ut colorem probum: uel morbi labefactantis, pallorem. Verum sanitas ipsa & morbus similiaque nullis sensibus occurrunt. Vocantur habitus tamen cum diu perdurant, nec facile amittuntur. nam uirtutem obtinere in habitu seu uitium dicimur: necnon sanitatem, uel morbum. Quo circa bono quoque tum frui dicimur habitu cum intenta sanitas fuerit. Quin & hecticus quidam hoc est habitualis uocatur morbus: maloque rursus laborare habitu dicimur. Quod si breui finiantur ac facile deserant, dispositiones nominantur. Cæterum speciem hanc esse affirmat qualitatis primam, habitum inquam ac dispositionem. Porro habitum uocant, stabilem qualitatem ægreque dimobilem, dispositionem uero, depositu facilem. sic nanque habitum rhetoricæ habere eum dicimus qui non eius rationes ac uias duntaxat nouit, sed obsistere quoque obiectis difficultatibus ualet. At qui compos rhetoricæ non admodum est, nec facile eius obtinet methodos, alioquin uero qualitate quodammodo rhetorica delibutus, non hunc quidem rhetoricæ habitu præditum, sed quodam pacto in rhetorica dispositum appellamus. Quid ergo? non est & habitus dispositio? qui enim possidet habitum, dispositionem is multo magis obtinebit. Dispositio quippe tum uniuersalior est, tum particularior. Habet enim secundum eam se quodammodo qui disponitur. nam duplex nomen esse dicimus dispositionis, alterum generalius, quod uel de habitu prædicatur. specialius alterum, quod ab habitu seiungitur in oppositum. Dispositionem itaque hoc loco non generalem, sed specialem assumpsit, quæ ab habitu ex aduerso distinguitur. Illud uero sciendum est, celebrari in iisdem habitus nomen in quibus & boni habitus fertur. ipsius D C E F

G nanque habitus intensio est habitus bonus. Ergo si boni habitus nomen in solis animatis ferre consueuimus (nemo quippe bene habere in caliditate ignem dixerit, aut in frigiditate niuem) nomen habitus quoque in solis animatis prædicabitur. Sin uero actu existens qualitas, perfectiua deprauatiua ue sit, ac nostrum circa sensum affectum inducat, passiua qualitas nominatur, quasi nostro sensui affectum importet. Perfectiua, ut in igne caliditas, aut dulcedo in melle: deprauatiua, ut uini acor, putredoque in fructibus, aliisque corporibus. Perfectiuæ porro non iniuria dicuntur illæ, siquidem ijs formam mel atque ignis ferunt acceptam: hæ uero deprauatiuæ, quoniam subiecti sunt corruptrices. Sensui tamen omnes nostro affectum conciliant. Cæterum non ut ab affectu hæ fieri dicuntur, quandoquidem non sunt per mutationem subiecti quampiam genitæ (perfectiuas intelligo) uerum qualitates substantiales earum sunt, quibus item insigniuntur. Haud uero segmentum hoc ut alterum in facile ægreue dimobile subdiuidi est necesse. nam illud in solis animatis uisebatur, in quibus deprauatiuas etiam qualitates, & perfectiuas fieri atque defieri uoluit natura subiecto eodem manente. Iccirco

H & in diuturnas diuidebantur breuique durabiles. Hoc uero in inanimis segmentum spectatur, in quibus & perfectiuæ subiecti & deprauatiuæ qualitates pariter cum subiectis perdurant, secumque & subiecta marcescentes extinguunt, seu cum subiectis marcescunt, ut in rosa sese res habet ac malo. Quippe horum suaueolentia, colorisque exolescens probitas subiectum quoque secum corrumpit. Verumeninuero habent se eodem pacto, & deprauatiuæ, cum simul & ipsæ cum subiectis in quibus giguuntur perennent atque intereant, qualis uini est acor, ac fructuum, corporumque reliquorum putredo. Quod si uel deprauatiua in nonnullis qualitas non diu permanens reperiatur, ut ærugo in argento, aut huiusmodi quidpiam, talia quidem potissimum quis forsitan magis proprie affectus seu passiones quæ ad qualitatem referuntur nominauerit. Quoniam uero occupauit prorsus deprauatiua qualitas perfectiuæ coniungi, propterea quod in altera subdiuisionis parte, ea inquam quæ perfectiuas ac deprauatiuas nec passionem ingerentes capit, consors in omnibus est perfectiuæ (fiebat enim uel habitus utraque, uel dispositio: atque in solis animatis conspiciebatur) iccirco & in parte altera, nempe hac proposita, necessario constructa, cum ea per omnia est delata: neque in diu breuique durabile diducta, atque effigiem ex affectu inuehendo magis recipiens, quam ex eo

I quod ab affectu inducatur. Connexæ hæ porro inter se sunt perfectiua inquam & deprauatiua, ne multifida diuisio reddita posset oculis tota incommode subyci, atque in eadem segmenta discerpi cogeretur. Sin nec perfectiua sit nec deprauatiua qualitas, aut in profundum penetrat, aut per summa diffunditur. ac si alte desedit, aut difficilis abyci est, aut facilis. Si uix ergo abyciatur, passiua qualitas dicitur, quasi a passione innascens: ut dulcedo in iure: uel ab ortu pallor. Haud uero hæc passionem circa sensum nostrum ueluti ingenerans uocatur, quanuis ipsa quoque ingeneret: sed tanquam a passione innascatur, propterea quod ipsam peculiarius ab eo quod ipsi magis inest appellauimus. Id enim ipsius expressius figuram repræsentat quod est secundum mutationem subiecti esse genitam, hoc est secundum passionem, magis quam quod eandem in sensu nostro moliatur. Sin autem reijci queat facile, id est breui permaneat, nisi paruo negotio emendetur expellaturque, passio dicitur ad qualitatem relata: ut pallor ex diutino morbo: & fuscus color ex multo solis æstu contractus. quæ sese propterea quoque sub qualitatem recipiunt, quoniam proprium & in his consequens seruatur qualitatis, nempe id quod est denominatiue ab ea quæ participant appellari. Quod si facile emendetur passio ad pati prædicamentum relata nuncupatur: ut siquis expalluerit metu: uel pudore erubuerit. Hæc enim ne qualitates censet quidem prorsus appellandas: quoniam nec qui ita affecti sunt, denominatiue ex ipsis uocantur. Nemo enim qui uerecundia inquit erubuit, rubicundum: aut qui impalluit metu, pallidum nominauerit. Tertia autem ex hisce species fit qualitatis, quæ sunt qualitates passiuæ passioneſque: passiuam qualitatem eam uoco quæ ceu passionem intus generat, quæque ut a passione innascitur. Et passionem eam tum quæ ad qualitatem, tum quæ ad pati prædicamentum redigitur. Nam sunt priora quidem tria qualitates, quarta uero passio est. Verum quo pacto subiisse hæc in profundum dicimus, pallorem inquam atque erubescentiam, cum circa corporis summa duntaxat spectentur? Dicimus non sine mutatione. In profundo factam circa superficiem esse id genus qualitatem. Nam sicuti ab ortu rubicundi, tales temperaturæ eiusmodi causa extitere, superante nimirum in ipsis calore, atque ad superficiem erumpente: sic rubri quoque uel pallidi per timorem, aut uerecundiam redditi, sine mutatione in profundum tales haudquaquam euascere. At uero si actu qualitas, neque perfectiua, neque deprauatiua sit, ac superficiem tantum occupet, atque in inanimis habeatur imaginarijsque, figura. in inanimatis uero, forma seu græce morphe nuncupatur. in imaginarijs quidem, ut mathematicis omnibus, triangulis inquam, & circulo, ac reliquis figuris. hæc nanque ipsum esse in sola imaginatione obtinent. inanimis uero, lignis, lapidibus, similibusque. quippe imaginaria hoc est figuræ quæ inanimatis insunt, ea quoque tali ratione esse, aut tali disposita pro figurarum differentijs faciunt. in ipsis uero animatis, ut animalibus omnibus forma seu morphe circa superficiem solam consideratur. Quid ergo, nonne morphen habere & statuam dicimus? Verum non prima ratione, figuram enim habere in primis dicitur: secundaria uero ratione & formam. Eo enim quoniam animati imitamen est, in quo & forma existit, forma quoque in eo magis per abusionem fertur. Habes & speciem quartam qualitatis, figuram inquam ac formam. reddetque descriptio diuisionis faciliorem captu rationem nobis ac uiam. Aperuit itaq; nobis diuisio cuiusnam rei gratia solæ species quatuor neque plures, neque pauciores sint qualitatis. Hæc uero de earum ordine pronunciamus, Statuit quidem iure speciem habitudinis ac dispositionis primam. Quandoquidem enim circa animata eæ uersantur, præstantiora uero sunt omnibus animata, qualitas quoque quæ in ijs uisitur iure sibi primas uendicauit. Merito autem secunda per potentiam species est atq; impotentiam. Nam quoniam potentia & impotentiam naturalis quædam est aptitudo: quippe et puerulus naturalem quãdã habet potestatem suscipiendæ grãmaticæ, uel rhethoricæ: & equus naturalem talium percipiendorum impotentiam. ignis quoque naturalem calefaciendi facultatem obtinet, similiterque id genus ralia, secunda uero sunt ab animatis naturalia, qualitatis quoque per potentiam, & impotentiam species cum in naturalibus rebus uisitetur, secundum locum non immerito obtinet. Quoniam uero naturali quadam ante præditum esse aptitudine, dein secundum eam, aut facere quidquam, aut pati conuenit. nam nisi prior aptitudo existat, utique nec pati quis poterit, aut facere. Quandoquidem Amiantum uerbi gratia aptitudine urendi uacat.

A di uacat: neque si sexcenties quis ignem admouerit conflagrabit. At lignum potestate urendi præditum, igne adhibito uretur habent & passiuæ ob id qualitates passioneſque tertium inter species qualitatis ordinem: quoniam nemo uti diximus facere secundum eas, aut pati ualeat, non prius facultate in eo existente aliqua quæ apta sit ad eiusmodi res capessendas. Cæterum figura & forma cum in sola superficie considerarentur, sedem sunt postremam sortitæ, passiuis qualitatibus atque affectibus usque in profundum peruenientibus. hæc quoq; de specierum ordine. Sciendum uero modis pluribus eandem dici qualitatem posse. Vt calor in igne passiua qualitas est uelut sensui nostro affectum insinuans. in nobis uero, ut febris, passiua qualitas uelut a passione ingenita. In ferro candente, atque eum si forte accidat per diem seruante, passio quæ ad qualitatem refertur. Calor autem qui nobis forte iuxta ignem fit prætereuntibus, passio est quæ sub pati prædicamentum redigitur { Qualitatem autem eam uoco secundum quam quales esse quidam dicuntur } Cur qualitatis præceptionem facit per quale? Respondemus quoniam manifestius quale est ut tam docuimus, uelut sensui perceptibile. ac denique a quali in qualitatis notionem uenimus: quippe album in lacte, in niue, in cerussa contuiti, in albedinis notitiam concedimus. similiter gustato melle, & palmula, & carica, in dulcedinis intelligentiam deducimur; ex quali igitur utpote planiore præceptionem confecit. Porro ipsum id cui impertitur, quale: id quod impertitur, qualitas est. Sed quamobrem uerba adiacent illa, secundum quam quales esse quidam dicuntur? an ob ruborem ex uerecundia, & pallorem ex metu. non sunt enim qualitates hæ: quoniam non rubicundi uel pallidi qui sunt pudefacti ac territi dicuntur. nam præuertit appellationem mutatio. Sed erubuisse atque expalluisse: quod appellationem non præuenit. neque hæc etiam qualitati passio eadem de causa, sed prædicamento pati fertur accepta: siquidem non patientes, sed passi duntaxat nominantur { Est uero qualitas ex eorum numero quæ multifariam dicuntur } Quonam pacto multifariam? hoc est secundum ea quæ uelut ab uno atque, ad unum pertinent: sed non uti uox æquiuoca. Multifariam igitur dici qualitatem affirmat. hoc cum dicat, non æquiuoce, sed modo diuerso appellari indicat. nam dici multifariam, non æquiuoce significat: sed ut hoc loco, differenter. nam si æquiuoce esset sumptum, in diuersa significata diductio fieret. uerum quoniam pro

C differenter acceptum est, diuisio iccirco ut generis in species obitur. Vtrum ergo non est qualitas genus? quamobrem igitur species eius prima alia dicitur, alia secunda? Respondemus non quoad qualitas primam hanc, secundam esse illam, sed dignitate duntaxat: ut homo quoque differt ab equo.

49 *Vna quidem igitur species qualitatis, habitus & dispositio dicantur. Differt autem habitus a dispositione, quod permanentior & diuturnior est. Tales uero sunt scientiæ & uirtutes. Scientia enim uidetur esse permanentium, & dinturnorum, si quis uel mediocriter sumat scientiam: nisi grandis permutatio facta sit, uel ab ægritudine, uel ab aliquo huiusmodi. Similiter autem & uirtus, ut iustitia, & temperantia, & singula talium non uidentur posse facile moueri, neque facile permutari. Dispositiones uero dicuntur, quæ sunt facile mobilia: ut calor, & infrigidatio, & ægritudo, & sanitas, & quæcunque alia huiusmodi. Afficitur enim quodammodo secundum eas homo. Cito autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex sanitate in ægritudinem transit. Similiter autem & in alijs: nisi aliqua earundem contingit per temporis longitudinem congenita et immobilis, uel omnino difficile mobilis existens: quam iam quispiam ut habitum uocet. Manifestum est autem quod hæc uolunt habitus dicere quæ sunt diuturniora & difficilius mobilia. Nanque disciplinas non multum retinentes, sed facile mobiles existentes non dicunt habitum habere: & tamen dispositi sunt aliquo modo secundum scientiam peius meliusue. quare differt habitus a dispositione, quod hæc quidem facile mobilis sit: ille uero diuturnior, & difficilius mobilis. Sunt autem habitus, & dispositiones: dispositiones uero, non necesse est habitus esse. Qui enim retinent habitum: & quodammodo, dispositi sunt secundum ipsos: qui autem dispositi sunt, non omnino retinent habitum.*

Species itaque una qualitatis habitus ac dispositio dicantur } Species prima qualitatis habitus ac dispositio est. Differt uero inquit a dispositione habitus, quod amittatur facile dispositio, habitus non facile: quodque habitus omnino & dispositio sit, dispositio autem non etiam habitus necessario { Tales porro scientiæ uirtutesque sunt. Videtur enim ex ijs quoque scientia esse quæ tenacius adhærent nec facile dilabuntur, tametsi mediocriter scientiam acceperis: modo ne magna sit, uel a morbo facta, uel alio quoquam eius generis mutatio } Vocat hoc loco scientias non quæ carent errore, sed artem absolute omnem pertinacius animo insitam. Fit igitur hoc significato, ut scientiæ tum grammatica, tum fabrica, tum mechanicæ artes reliquæ sint. stabilis enim sunt quidam habitus singulæ. Tribus autem modis nominatur scientia. nam & cuius subiectum offendiculo uacat, atque secundum eadem ac eodem pacto perpetuo habet, sic dicitur: qua significatione, & Geometria, & Astronomia, & Arithmetica scientiæ habebuntur, Medicina, si hoc significatum attendas, non item, cum circa subiectum fluxile uersetur. Vocatur scientia & ea quæ ex probatis per se principijs emanat. atque hæc re uera scientia est, quam philosophiam suppositionibus carentem, seu græce anypotheton nominant: propterea quod ex communibus animi conceptibus prodeat. Hac porro ratione neque Geometriam, neque Astronomiam, neque ullam eius generis, scientiam appellabis: quoniam non ex creditis suapte natura principijs uriuntur, sed demonstratione indigentibus. Sunt enim Geometriæ principia, punctum, linea, superficies, ac similia. definitque horum quodlibet Geometra, punctum id esse inquiens cuius nulla pars est. lineam uero, longitudinem latitudinis expertem. ac cætera uti habent. At horum demonstrationem, qua inquam de re impers punctum sit, uel linea longitudo carens latitudine, non etiam, qua Geometra est, nouit. sed horum faciendas demonstrationes ad primum philosophum relegat: cum scientia nulla ipsa sui ipsius principia demonstret. Quæ ergo non ex creditis per se principijs proficiscuntur, eæ ne scientiæ quidem proprie fuerint, id quod uel Pla-

G to affirmat. Cui enim sunt quæ non nouit principia, media autem finisque ex ijs sunt quæ ignorat, quomodo constare huic potest scientia? Est uero & tertia quadam ratione scientia paratrix uiæ (græci odopœeticen uocant) intelligens quæ antecedere, quæ sequi conueniat. in quo significatu scientia est tum Medicina, tum Mechanica ars omnis. Qua sane significatione, uel hoc loco usus est scientiæ Philosophus. Virtutes autem hic dicit perfectas, eas nimirum quæ & quod sit sciunt, & quamobrem sit. Sunt enim uirtutes aliæ naturales, ut qui naturalem modestiam obtinent quandam, aut mites natura sunt: qua bruta quoque prædita feruntur nonnulla, ut turtur & cornix castitate, ciconiæ iustitia. aliæ morales, quæ honestum esse iustitiam, & omnem simpliciter uirtutem norunt, quam autem ob causam honestum sit haud norunt: sed hoc qui præditi ijs sunt ex patribus aut præceptoribus recta opinione instituti intelligunt. Aliæ ciuiles, quæ simul & quod sit, & qua de re sit cognoscunt. Quædam autem purificæ. Porro a ciuilibus distant purificæ eo, quod circa inferiora ciuiles uersentur, honestioresque arripiant uoluptates, ac tempus & locum, & quantitatem obseruent. Qui autem pure
H agunt, haudquaquam curent deteriora, uoluptatesque semel contemnant. Sunt uero & contemplatiuæ quædam uirtutes. Itaque uirtutes hic ut commonuimus perfectas intelligit, nempe & ciuiles & purificas, & contemplatiuas { Modo ne magna sit uel a morbo facta, uel alio quoquam eius generis mutatio } Consentaneum enim est, ut diuturno aliquo uexatus morbo, aut alioquin negocijs impeditus ob posthabitam meditationem scientiam amiserit { Dicuntur uero dispositiones eæ quæ sunt permobiles ac cito mutantur. Vt caliditas, & frigiditas, & ualetudo, & sanitas, atque id genus reliqua. Dispositus quidem homo quodam pacto in ijs dicitur, non habitum tamen obtinere. Nisi harum quoque aliqua ipsarum temporis diuturnitate iam in naturam abierit, sitque insanabilis, aut uix admodum dimoueatur, quam quis habitudinem forsitan appellauerit } Talis enim non amplius dispositio, sed habitus nominatur. In naturam autem inquit abierit, hoc est mutata fuerit in naturam, atque ob consuetudinem multi temporis ipsa natura euaserit { Qui enim participes non admodum sunt scientiarum, eos obtinere habitum haudquaquam dicunt } Nam qui in grammatica, uel rhetorica, de quibuscunque rogetur rhetoricæ, uel grammiticæ speculaminibus, ad respondendum est promptus, rationemque de ijs reddit,
I atque oborientes difficultates impigre soluit, hunc rhetoricæ habere, aut grammaticæ habitum affirmant. Sin est aliter qualitate earum quodam pacto seu modice perfusus, non is quidem habitum obtinere harum dicitur, sed in ijs quodam modo dispositus { Nam qui sunt habitus, ij dispositiones quoque. At quæ dispositiones, eæ non habitus ex necessitate sunt } Sicut enim de nomine & uerbo prædicatur nomen, estque nomen tum genus nominis & uerbi, tum quod a uerbo eregione distinguitur, ita dispositio quoq; altera, ut genus de habitu ac dispositione dicitur, altera ut species ab habitu in aduersum semouetur. quo fit, ut qui habitus est is & dispositio sit prorsus, quoniam genus est eius dispositio: at quæ dispositio, non præterea & habitus. nam per contrariam ab ea distinctionem dicitur habitus.

Aliud uero genus qualitatis est secundum quod
50 **pugillatores, uel cursores, uel salubres, uel insalubres dicimus, & simpliciter quæcunque secundum potentiam naturalem, uel impotentiam dicuntur.**

Non enim quoniam sunt dispositi aliquo modo, unum- K
quodque huiusmodi dicitur: sed quod habent naturalem potentiam, uel impotentiam facile aliquid facere, uel nihil pati: ut pugillatores, uel cursores dicuntur non quod sint dispositi aliquo modo, sed quod habeant potentiam naturalem, uel impotentiam aliquid facile faciendi. Salubres uero dicuntur, eo quod habeant potentiam naturalem, ut nihil a quibuslibet accidentibus facile patiantur: insalubres uero quod impotentiam habeant naturalem nihil facile a quibuscunque accidentibus patiendi. Similiter autem his durum & molle se habent. Durum enim dicitur quod habeat potentiam non facile secari: molle uero quod eiusdem ipsius habeat impotentiam.

Alterum est genus qualitatis, secundum quod pugillicos, ac cursorios quosdam, uel salubres, ac ualetudinarios appellamus, & simpliciter quæcunque per naturalem potentiam, uel impo- L
tentiam dicuntur } Species est hæc secunda qualitatis, quæ potentia inquam constat atque impotentia. Sed cur genus ipsam qualitatis appellauit? genus enim qualitas generalissimum est. Aiunt pro specie genus ab eo dictum, ne speciem quis hanc esse putaret specialissimam. Huiusce rei argumentum id est, quod non genus generalissimum, sed genus dixit, ut subalternum genus esse, speciem uero quæ sub qualitatem confertur indicaret: perinde ac si diceremus genus esse substantiæ animal, hoc est ad substantiam referre. Speciem igitur tradit qualitatis secundam ut diximus, quæ ad potentiam, & impotentiam pertinet, ac secundum quam pugillicos, uel cursorios, uel salubres, uel ualetudinarios uocamus. Porro eos pugillicos, aut cursorios nominat, qui naturam ad horum aliquod idoneam possident, hoc est qui tales sunt facultate. Ac qualitatis prima quidem actu species consideratur, habitus inquam ac dispositio. Secunda potestate. Aliud enim est pugillem, aliud pugillicum. & cursorem, ac cursorium dicere. Quippe actu pugil cursorque est, potestate uero pugillicus atque cursorius, qui nondum actu quidem eiusmodi est, cæterum ut talis fiat natiuam obtinet faculta- M
tem, id est aptitudinem. At qui est actu pugil, aut cursor, non is etiam per naturalem potestatem dicitur, sed habitum, uel dispositionem habet. Pugillicum autem nominamus infantem cui longæ sunt manus, quasi ad certandum summis manibus utiles: & infantem cursorium qui plethoricus non est, sed bene etiam ualet. Quomodo uero & impotentiam qualitatem nuncupat? quoniam dispositi in hac sumus quodam pacto. Equum enim dicimus, propterea quod tali dispositus ratione sit, impotentiam habere scientiæ capessendæ. Ac demum in quibus potestatem, in ijsdem quoque impotentiam contemplamur: nam qui præditus patiendi est facultate, habet is & non patiendi impotentiam. & qui facultate pollet non patiendi, is patiendi impotentiam obtinet. potest enim pugillicus facere. potest & nō pati saluber: quippe ad ægtificis causis pestilentia sæuiente non facile excipitur. nec facere potest consilio tardus: de quo dictum est Dilatorem ope- „
rum nunquam non noxa fatigat. facere nō potest ignis ut refrigeret: facere nō potest ignis quin calfaciat. neq; potest non pati molle: aut ualetudinarius pestilentia crassante. At pati durum non potest.

A potest: Alia ratio. Quoniam genus idem est oppositorum. Siue igitur quis hæc ut contraria opposita esse uelit, sub quo genere unum habetur contrariorum, eodem sese & alterum recipiet. siquidem & album & nigrum quæ sunt contraria, eidem generi qualitati referuntur accepta. Ergo si sub quale potentia colligitur, recurret sub idem & impotentia. siue hæc mutuo aduersari sibi per priuationem atque habitum malis, ea sic quoque ad idem genus reduces. nam cuius esse fertur habitus generis, huius quoque priuatio dicetur, ut oculi, Est enim eius & uisus & cæcitas. itaque sub quo genere continetur habitus, ad idem priuatio quoque reuocabitur { Non enim quale harum quoduis dicitur quod dispositum sit quodam modo } Quasi dicat non enim ij propterea quod actu sint, tales dicantur: sed quod eiusmodi potestatem habeant. Porro uocatur tribus modis facultas. nam aut ex eo nominatur quod facere sit quisquam natura idoneus, hoc est facultatem quisquam ad faciendum habeat, aut quod ad patiendum, aut ad non patiendum. quemadmodum ad esse ualetudinario exempli gratia potestatem patiendi dicimus a multa ambulatione, aut solis ardore: subesse uero salubri uim a talibus non
B patiendi: & fabro ianuæ faciendæ facultatem adesse. Quot autem modis uocatur potentia, totidem & impotentia nuncupabitur. Habet enim qui potest pati impotentiam non patiendi: & qui potest non pati, patiendi impotentiam. non uero etiam qui facere potest, is omnino & non faciendi impotentiam obtinet. Quamobrem igitur ut cum patiendi potentia non patiendi quoque assumpsimus impotentiam, non itidem cum faciendi ui impotentiam non faciendi commisimus? Respondemus, quoniam res quædam sunt quæ ad faciendum duntaxat, nequaquam uero & ad non faciendum uim habent: ut in libro quoque Aristoteles de interpretatione inquit, partim utroque spectare potentiam, partim ad alterum tantum sese habere contrariorum. ancipitis est naturæ quæcunque rationali constat specie. possidet contrariorum solum alterum quæ eiusmodi non est. potest uerbi gratia sanare Medicus, sed nihilo minus & non sanare. faber quoque ianuæ potens construendæ, nihilo minus & non construendæ præditus est facultate. At uero calefacere cum possit ignis, non potest præterea & non calefacere. similiter cum adsit & refrigerandi uis niui, non insuper uis quoque non refrigerandi præsto
C est. & Deus cum faciendorum bonorum facultate polleat, non est item & non faciendorum compos. Habentq; iure optimo potestatem ad utrunque rationabilia: quoniam non in ijs potestas D
concurrit cum uoluntate. Non enim quæ uolunt, possunt & ea omnino: nec quæ possunt, ea etiam uolunt. Deus tamen Optim. Maxim. comitem uoluntati potestatem habet. nam si uelle quidem dicamus eum, cæterum quæ uelit non posse, fatua esset uoluntas. quemadmodum fatuus & homo ille est qui ea uult quæ consequi nequit, ut uolare, immortalis ue esse. Rursum si posse eum quidem, non autem uelle affirmemus, inanem facultatem obtinebit. nam si facere potest quisquam aliquid, nec facere id uelit, omnino non faciet, nec facultatem in actum prouehet. quapropter inanis erit facultas, quæ nunquam actu illustretur. eam ob rem ipsum in Deo posse duntaxat dicimus, haud uero etiam non posse. quoniam quæ potest, uult ea quoque. Volens autem, facit etiam prorsus. nec forte quidem facit, forte uero non facit, sed facit omnino. quidquid enim uult potest, & uult quidquid potest. Porro hic uoluntatem non quod græci buleusthæ, uel buleusin appellant, hoc est consulere, uel consultationem, sed to thelema, hoc est id quod lubet uocamus. nam neque consulere proprie in Deo fertur, aut consilium, si nihil aliud consilium est, ut Aristoteles tradit, quam prudentiæ defectus. quid enim facere oporteat, & utrum hoc faciundum an illud sit nescientes consu- E
limus. Nam in quibus est præelectio, in ijs & consilium est, si est præelectio nihil aliud quidem quam hoc præ illo eligere. consilium autem rerum electionis gratia fit: consulimus uero ignari: ignoramus prudentiæ inopes. nam minime eum latent quæque res gerendæ cui suppetit prudentiã. Quippe uirtus ea est absolutissima. Ergo si Deus quoque prudentia ipse est, consilio non egebit, si per defectum id fiat prudentiæ. Itaque his de causis Aristoteles rationalem solam esse facultatem in utrunque dixit procliuem. Verum si sit exquisitius loquendum, appetendi facultas omnis ad utranque partem habet momentum. Præter appetitricem uero, tum hac præstantior, tum deterior, omnis membrum alterum contradictionis duntaxat possidet, uti iam in igne niueque monstrauimus. Igitur si faciendi solum facultatem in rebus quibusdam locum habere ostensum est, hauduero & partem quoque contradictionis alteram, merito non ut in patiendo ipsum non pati ex aduerso collocauimus, sic uolumus in faciendo id etiam quod est non facere oppositum statuere. Enimuero non omnem prorsus facultatem sequitur impotentia. Porro & descriptionem seorsum ac negationum sic facere conuenit. F

AFFIRMATIONES		NEGATIONES
Potest facere,	Valetudinarij	Non potest facere,
Potest pati,	Salubres	Non potest pati,
Potest non pati,		Non potest non pati.

Itaque eas ob res triplicem hanc & ipse speciem tradit potestatis. ac eam quæ faciendi est, inquiens, Pugillici enim uel cursorij dicuntur, non quod dispositi sint quodam pacto, sed facultatem, facile quidquam faciendi habeant. hic faciendi est facultas. Salubres uero appellantur, quod naturalem habeant nihil a quibusuis facile patiendi potestatem. ecce & secunda. Veletudinarij uero, quod natiuam impotentiam nihil a quibuscunque patiendi obtineant. tertia hic. Nam habent quidem ualetudinarij potestatem facile patiendi, non patiendi uero impotentiam, salubres contra. A quibuslibet autem minime affici salubria dixit exacte, ut ab æstu, uel flatu, aut a quibus denique affici salubria noluit natura. Affici enim possent a gladio, uel igne, aut huiusmodi quouis alio. At morbosa potestatem a quouis obuio patiendi habent: impotentiam uero non patiendi. Simile his est & durum & molle. Habet nanque illud potestatem quo minus diuidatur facile, atque huius ipsius impotentiam. Molle autem poteniam ut facile, impotentiam ut minime dissecetur.

G Tertium uero genus qualitatis est possibiles qua-
51 litates & passiones. Sunt autem huiusmodi, ut dulce-
do & amaritudo & austeritas & omnia his cognata:
amplius, & calor, & frigus, & albedo & nigredo.
Quod quidem igitur, & hæ qualitates sunt manife-
stum est. Quæcunque enim has susceperint, ipsa qua-
lia dicuntur secundum ipsas: ut mel quoniam dulce-
dinem suscepit, dicitur dulce: & corpus album, quo-
niam albedinem suscepit: similiter & in cęteris. Pas-
sibiles uero qualitates dicuntur, non quod ea quæ il-
las susceperint qualitates, aliquid patiantur (neque
enim mel quoniam aliquid passum sit dicitur dulce:
neq; aliquid aliud huiusmodi) similiter autem his &
calor, & frigus passibiles qualitates dicuntur: non
quod ea quæ illas suscipiunt aliquid passa sint: sed quo
niam secundum sensus unaquæque dictarum qualita-
H tum passionis effectiua est, passibiles qualitates dicun
tur. dulcedo enim passionem quandam secundum gu-
stum efficit: & calor secundum tactum: similiter au-
tem & aliæ. Albedo autem & nigredo & cæteri co-
lores non eodem modo ijs quæ dicta sunt passibiles
qualitates dicuntur: sed eo quod ipsæ ab aliqua passio
ne innascantur. quoniam enim fiunt propter aliquam
passionem multæ colorum mutationes manifestũ est.
erubescens enim aliquis, rubens factus est: & timens
pallidus & unumquodque talium. quare etiam si quis
natura aliquid talium accidentium perturbationum
ue passus est. similem colorem uerisimile est eum habe
re. Quæ enim affectio nunc in eo quod uerecunde-
tur circa corpus facta est, etiam secundum naturalem
constitutionem eadem fieri potest affectio, ut & natu
ralis color similis sit. Quæcunque igitur talium acci-
dentium ab aliquibus passionibus difficile mobilibus,
I & permanentibus principium sumpserunt, passibiles
qualitates dicuntur. Siue enim secundum naturalem
constitutionem pallor fit aut nigredo, qualitates di-
cuntur (quales enim secundum eas dicimur) siue pro-
pter ægritudinem longam, uel propter æstum eidem
contigit nigredo uel pallor, & non facile prætereunt,
uel etiam per uitam permanent, passibiles qualitates
& ipsæ dicuntur. Similiter enim quales secundum
eas dicimur. Quæcunq; uero ex ijs quæ facile soluun
tur & cito transeunt fiunt, passiones dicuntur: qua-
litates uero minime. non enim aliqui secundum ipsas
dicuntur quales. Neque enim qui propter uerecun-
diam rubens factus est, rubens dicitur. neque cui pal-
lor propter timorem uenit, pallidus est: sed magis eo
quod aliquid passus est. Quare passiones quidem hu- K
iusmodi dicuntur: qualitates uero minime. Similiter
autem his & secundum animam passibiles qualitates
& passiones dicuntur. Quæcunque enim mox inna-
scendo ab aliquibus passionibus difficulter mobilibus
fiunt, qualitates dicuntur & ipsæ: ut amentia, men-
tis alienatio, & ira, & alia huiusmodi. Qualis enim
secundum eas dicuntur, idest iracundi, atque amen-
tes. similiter autem & quæcunque alienationes non
naturales, sed quæ ab aliquibus alijs accidentibus fa-
ctæ sunt difficile prætereuntes, & omnino immobi-
les, qualitates sunt etiam huiusmodi. Quales enim &
secundum eas dicuntur. Quæcunque uero ab ijs quæ
facile & cito prætereunt fiunt, passiones dicuntur: ut
si quis contristatus, iracundior fiat. Non enim dicitur
iracundus qui huiusmodi passione iracundior est: sed
magis quia aliquid passus. quare passiones quidem hu- L
iusmodi dicuntur, qualitates uero minime.

Genus uero tertium qualitatis passiuæ qualitates ac passio-
nes dicuntur. Sunt autem huiusmodi, ut dulcedo, amaritudo,
acerbitas, similiaque his omnia } Genus rursus pro specie dixit.
Quomodo autem genera ea nuncupauit, si species hæ sunt qua-
litatis? Quoniam habent & ipsa subiectus sibi species alias, qua-
rum sunt genera. Hoc autem quatuor modis consideratur genus.
adest enim aut omni speciei passiua qualitas, ut album omni niui.
aut non omni, naturaliter tamen atq; ab ortu, ut nigrum Aethio-
pibus. atque si omni, aut completiua subiecti est, aut minime. com-
pletiua est, ut niuis albedo ac frigiditas. & ignis caliditas sicci-
tasque. Non completiua uero, ut nigricia coruorum, atque olo-
rum candor. Non enim complet coruum nigricia, ut proditum
sæpe est: propterea quoniam deplumatus, niger quidem non est
præterea, coruus tamen est nihilominus. Et aliter. quoniam finien-
dis ijs, nec eiusmodi usurpamus qualitatum differentias, nisi sæpe- ✻
numero substantialium differentiarum egestate coacti. nihil enim
mirum est, cum simus homines, non in omnibus substantiales a no
bis differentias inueniri: eaque de causa rerum ex talibus obsi-
gnandarum necessitate urgeri. Si igitur speciei omni competat,
completiuæq; sit, passiua qualitas nominatur ut sensui nostro pas-
sionem ingerens. Sin in tota sit specie, quam tamen non com-
pleat, passiua dicitur qualitas uelut a passione innascens, ut ni-
gredo coruorum. At si speciei non inest omni, aut diuturna est,
aut breui finitur. si diuturna, rursus passiua qualitas fertur qua-
si a passione inuecta, ut dulcedo in iure, aut ab ortu pallor ac ru-
bor. Sin speciei non omni conueniat, breuique permaneat, nec
facile emendetur abijciaturque, passio dicitur ad qualitatem re-
lata, ut pallor ex morbo diuturno, aut ex multa hyeme oborta
frigiditas. sin deponatur haud magno negotio, ac facile confestim
que mendetur, passio ad pati prædicamentum pertinens uocatur,
ut ex intempestiuo metu pallor, aut rubor ex uerecundia. Talia
enim qualitates appellare operæpreciũm esse non putat Aristo-
teles: quoniam non ab ijs denominatiue participes dicuntur. De-
scriptio autem rursus diuisionem faciet conspicuam ac subijciet
oculis.

Qualitas

A Qualitas passiua speciei adest. D

Omni. Non omni, naturaliter tamen, & ab ortu, ut album æthiopi.

Completiua subiecti, ut albedo & frigiditas niui, estq; sensui nostro passionem ingerens qualitas.

Non completiua subiecti, ut nigrum coruo. & passiua est qualitas a passione innascens.

Diuturna, & est qualitas a passione innascens, ut dulcedo in iure.

Breui durans.

Non facile emendabilis. estq; passio ad qualitatẽ relata, ut pallor ex morbo diuturno.

Facile emendabilis. & passio est ad ipsum pati relata, ut rubor ex uerecundia.

B E

Non solum autem quatuor hæ passiuarum qualitatum species circa corpus, sed animum etiam spectantur. nam siquis optimo ha
bitu sit ac simpliciter scientiario in rationalem præditus contem-
plationem, tale dici poterit, nempe qualitas passiua ut nostrum
circa sensum passionem inducens, nec quasi a passione inolescens.
quoniam animæ essentiæ completiuus perfectiuusque est id genus
habitus. Passionem uero circa sensum non uidelicet corporalem
molitur, sed eum qui diuinus & rationalis uocatur. Dicimur ita-
que rationes iniuriasque sentire, nimirum animo, & non corpo-
reis sensionibus. Furiosos autem ex corporea quadam temperie,
uel iracundos, uel huiusmodi aliquos passibilem qualitatem habe-
re quis dixerit tanquam ab affectu innascentem. qui ex morbo ta-
les euaserunt, passionem quæ sub qualitatem recipitur obtinere.
qui sunt ob casum quempiam ira correpti, aut quidquam id genus
perpessi, passionem eam quæ sub pati prædicamentum confertur.
Cæterum constat nos nominibus abutentes hæc dicere: quandoqui
dem proprie hæc omnia ad habitum ac dispositionem referuntur.
C Sunt uero duplici modo passiuæ qualitates desumendæ. nam aut
ab eo quod affectum subiectum sit, ac passiua quædam ei qualitas
ex affectu ingenita, qualitatem habere dicitur: aut quod ijs perci-
piendis qualitatibus noster afficiatur sensus, ipsæ uero in ijs qui-
bus hærent non per affectum fiant, sed naturaliter, uti in igne. non
enim per affectum est igni innata caliditas. nam inest ei substantia
liter, eiusque formatrix est. perinde quoque res habet in mellis dul-
cedine, & niuis candore, ac similibus. Alba tamen caro ab affe-
ctu habet albedinem. accidit nanque ipsi album, neque adest eidem
substanti diter, nec formã indit. eodem modo & de nigro, & dulci
iure, ac similibus dicemus. Afficitur ergo & in his sensus: uerum
quoniam magis proprium est hæc ab affectu ingenito, quam ab
inferendo sensibus affectu nominemus, hoc ipsis ea de re primo lo-
co competit. secundo uero & affectum ingerere. par siquidem
est ab antiquiore cognomentum passiuæ qualitatis fieri. Ergo &
in melle, quoniam ei dulcedo non ab affectu prouenit (ipsum enim
informat) iccirco ab affectu sensui inferendo passiua qualitas nun-
cupatur {Passiuæ uero qualitates dicuntur} Duplex est passiua
qualitas: uel animo, uel corpori insita. quæ animo inhæret, aut spe
ciei omni impertitur, ut animi ferocia leonibus: aut nonnullis. & uel ab affectu ex generatione aliquo, ut furor: aut ab accidente, ut astuta. Ac quæ corpori insidet, aut omni speciei conuenit, ut albe-
do niui: aut quibusdam. & aut ab aliquo ex generatione affectu,
ut æthiopibus nigredo: aut non a generatione est, sed post ab affe-
ctu genita: idque duplici uia. nam aut inuehit affectum, ut febris:
aut ut pallor, non inuehit { Albedo autem & nigricia coloresque
alij non eodem cum supradictis modo} Non faciunt inquit a seip-
sis denominatiuum affectum. non enim albescit qui album contue-
tur: uelut edulcatur calescitque is qui dulcedinem caloremq; per-
cipit. Cæterum si passiua qualitas albedo nigrorque est, ex quali
prodijt affectu, & quem affectum ingenerat? Albedo ab affectu
frigido est, nigror calido: affectus uero non circa habentem fa-
ciunt, sed cernentis aspectum. quippe illa uisum dispergit, hic con-
gregat {Complures igitur ob affectum mutationes colorum fieri
constat} Cum colores passiuas esse qualitates dixerit, quod ipsæ
ex passione innascantur, id ita se habere probat ostenditque. Ex-
territi enim inquit pallescunt, dilecto naturæ sanguine ad cor pro
prium fontem, ut ualidam arcem, fontem uitæ confugiente: eaque
de re postremum partium omnium morte occumbens. nam si uel
quibus uulneratum cor est biduum ac triduum uiuunt, id accidit
arteriarum beneficio quæ ab ipso pertinent. Pallidum quoque una
& ad tempus & ab ortu facit temperatura. fit enim sanguinis
defectione. quemadmodum eiusdem abundantia rubicundum & ab
ortu & ad tempus reddit. nam cum pudore afficitur natura, ana
bilem sanguinem sibijpsi ueluti uelamen obtendit, eorum ritu qui
ne cernant indigna manus oculis admouere: quasi dicere nobis det
illud elogium, Te uero ipsum maxime omnium pudeat {Quæcun
que igitur huiusceemodi accidentia} Colores accidentia esse dixit
propterea quod alijs affectibus superueniant: ut morbum diuttur-
num comitatur pallor. est et quidam substantialis color, ut album
ceruſſæ uel niui. & rubrum sanguini. & nigrum in Sepie humore.
similiter enim quales inquit et secundum has dicimur. qualitas au-
tem ea est secundum quam quales esse quidam dicuntur. Ergo si
quales ab ijs nõ dicuntur affectibus qui summoueri facile queunt,
hi nec qualitates dubio procul nominantur {Simili his modo & in
animo passiuæ qualitates dicuntur atq; affectus} Non modo enim
circa corpus inquit passiuæ qualitates & affectus, sed circa ani- F

mum quoque spectantur{ Dicuntur qualitates & quæcunq; protinus in generatione a communicibus quibusdam affectibus genita sunt } Sicut enim nigricies in æthiope ab ortu contracta passiua appellatur qualitas, sic & mentis emotio ab ortu, uel ira, passiua qualitas uocatur{ Similiter & quæcunque emotiones aliæ non naturales, sed ab accidentibus alijs quibusdam genitæ sunt, depulsu non faciles } Rursus quemadmodum passiua dicitur qualitas pallor ex longo morbo contractus, sic & exorta ab aliquo accidente exorbitatio mentis, uel aliud eius generis quidpiam, qualitas passiua nominatur{ Quæ autem a facile dissoluendis fiunt citoq; emendandis, affectus uocantur omnia, passiones uero minime } Quales quidam igitur secundum has non dicuntur, hoc est, finitionem qualitatis non admittunt, nec quales secundum eas impertiti nominantur. Non enim erythrias, uel ochrias idest diu rubicundus pallidus ue habetur is qui in solo uerecundiæ, uel metus tempore ruber aut pallidus euasit. non habentur autem, quoniam neque expectat appellationem mutatio. Sed ij sub pati prædicamentũ recipiuntur affectus. erubuisse enim & expalluisse solum & aliquid perpessi dicuntur, quod est pati. eadem uero & in anima dicit, non enim iracundus eatenus iratus est duntaxat ut tristetur.

52 *Quartum uero genus qualitatis est figura, & circa unumquodque constans forma. amplius autem ad hæc rectitudo, & curuitas, & si quid aliud his simile est. secundũ enim unumquodq; eorum quale quid dicitur. triangulum enim uel quadrangulum esse quale quid dicitur, & rectum aut curuum: & secundũ etiam formam unumquodque quale dicitur.*

Quartum uero qualitatis genus, figura, & circa unumquodque forma existens{ Quarta species est hæc qualitatis. Genus autem rursum dicit pro specie, quæ figura & forma seu morphe est. Patet uero latius figura quam morphe. nam morphe omnis & figuram & morphen habet: non habet autem & morphen quidquid est compos figuræ. hac enim de causa figuram morphe anteposuit, quoniam potior uniuersaliorque est. Dicebamus & paulo antea spectari in inanimis aut imaginarijs figuram: morphen in animatis uel naturalibus. ac si uel in inanimatis morphes aliquando nomen feramus, id per abusum magis fieri, quod fit animatorum simulacrum. & uero hæc iure qualitates esse: quandoquidem disposita secundum hæc quodam pacto sunt quæ ijs participant, atq; ab ipsis nominantur{ Ad hæc item rectitudo & curuitas & siquid simile his est } Denominatiue enim a rectitudine recta linea dicitur: a curuitate autem curua. suntque lineæ affectus rectitudo & curuitas. Est uero illud sciendum, cum punctum, linea, superficies, corpus, quatuor hæc sese deinceps consequantur, a puncto quidem, ut quod impers est, neque affectum, neque figuram receptam: multo uero magis nec morphen. a linea uero, quæ spacium unum habet, affectum solum. nam aut curua est, aut recta, aut siqua alia dicitur. a superficie, cum duabus pateat dimensionibus, longitudine inquam ac latitudine, & affectum admissum, & figuram. Affectus itaque sunt superficiei angustum & latum. figuræ, triangulus, uel quadrangulus, & quæ sunt huiusmodi propterea enim quod superficies omnis clauditur lineis (sunt enim inquit Euclides superficiei fines lineæ) ea propter figuras quoque iure accepit. constant enim ex lineis figuræ. at uero a corpore, quod in spacia tria porrectum est, longitudinem profunditatem latitudinem, & susceptos affectus esse, & figuras, & morphas. K affectus quidem, crassum & tenue. figuras, quoniam aut cubica est, aut cylindrica, aut id genus aliqua. sed suscipit morphas quoq; animatum corpus. Quamobrem uero & uerba illa adiecit, & siquid simile his est: ob innumera inter rectũ ac circunflexum comprehensa, quod magis minusque altero participent, hoc est conuoluta omnia. sunt autem hæc qualitates. nanque impartita qualia quædam illarum causa dicuntur. Triangulus enim tum concretus tum abstractus, & rectus, & curuus est, & retortus.

Rarum uero & spissum, & asperum & leue putabuntur quidem quale quid significare: sed aliena huiusmodi putantur esse a diuisione quæ circa quale est. 53 quandam enim positionem magis uidentur partium utrumq; monstrare spissum enim dicitur, eo quod partes sibijpsis propinque sint. rarum uero, eo quod distent a semuicem. & leue quidem, quod in rectitudinem aliquo modo partes iaceant. asperum uero, quod hęc quidem superet, illa uero sit inferior.

Rarum autem & densum, & asperum & lene, uideri quidem possunt quale quidquam indicare, cæterum hæc a qualitatis diuisione aliena esse uidentur. Quippe situm quendam magis partium significari ijs singulis constat{ Quoniam enim secundum raritatem uel spissitudinem, & asperitatem lenitatemque modo quodam dispositæ sunt participamia, atque ab ijs nominantur, existimationem quandam inquit qualitatum habent. hoc autem uerum nõ est, sed magis ad situs prædicamentum referentur. nam positum quendam significant. Est enim densum cuius prope inuicem sunt partes positæ adeo, ut corpus admittere diuersi generis nequeant. Rarum quod diductas habet partes, ut recipere alterius generis corpus ualeat. Rursus lene id uocamus quod æquales inuicem habet partium eminentias extantesque partes. Asperum uero quod inæquales inter se prominentias habet partium. lene malũ est uerbi gratia, nam huius est superficies æquabilis. facies aspera, quoniam ex inæqualibus ac minus planis constat partibus, ore, naso, oculis reliquisque situm partim propensiorem, partim cauum habentibus. ergo situm quendam magis indicare partes eorum uidentur: asperumque & lene ad situs prædicamentum dictis de causis omnium consensu rediguntur. Rarum porro ac densum hoc loco id solum cepit quod artis magisterio tale redditum est. hoc autem est id quod ad positus prædicamentum reducitur: ut siquis alutam extendens raram fecerit. non enim rarescit per totum prorsus, sed mutatur quarundam situs eius partium, quod a se mutuo magis discedant. Rursus si nucibus quis manum impleuerit, consistens ex omnibus corpus, rarum dicitur, quod non sit unum. nam manon hoc est rarum, to mi hen on, idest quod unum non est græce appellatur. Similiter & densum. nuces enim si minutatim contusas animo cõtemplabimur, promiscuum ex omnibus corpus erit densum. & rursus si compressum quis globulum lanæ ac densatum concerpat, efficiet rarum. Iureque hoc loco ad situs prædicamentum artificialem hanc raritatem ad spissitudinem reuocat, uelut ad introducendos sermonem habens: quoniam hæc uel densa, uel rara pro situ partium dicuntur, Non sunt autem qualitates. neque si naturalem raritudinem, aut spissitudinem habeant. neque si tota per totum, aut densa sint, aut rara: sed solo partium positu censentur: non ipsis uero etiam partibus similem totorum raritatem accipientibus. At in naturali auscultatione qualitates esse uult naturalem

A lem raritatem uel spissitudinem quæ circa unum subiectum atque idem uersatur. Aqua uerbi gratia cum naturalem habeat densitatem, totaque sit per seipsam totam densa, si deposita hac densitate irrauerit, fit aer. quoniam aquæ sextarius decem forte sextarios fecerit aeris: idque fit aqua non in minutas portiunculas dissipata: uelut si in aerem plena manu proijcias pulueren, plurimumque is occupet spatij, quod partes sint eius explicitæ. quandoquidem si id esset, nobis quoque conficere aerem dispersa minutatim aqua perinde liceret. Cæterum siquis dixerit, at nobis negatũ est aquam tenuiter adeo dispartiri. quod si uel opere nequimus, utique ne ratione id quidem supposuerimus: neque fieri hoc ita potest. aquæ enim partes, prorsus aquulæ sunt. nam partes sunt toti substantia similes. ac dissoluitur quoque in hæc ex quibus quodque componitur. A qua igitur si ex partibus quæ aquæ sunt similibus constat (nam toti sunt similes partes ut diximus) in has etiam omnino resoluendas tribuitur. aer autem non foret continuus, sed inanibus medijs interciperetur capedinibus. nam aut continuas esse aquæ partes necesse est, aut disiunctas. fieri non potest ut se tangant mutuo. nam si tangant, continuæ protinus ob humiditatem fiunt. ergo si diuisæ sunt, non erit aer continuus: quod falsum est, ac præter B euidentiam sin coniunctæ, totum rursus aqua erit, nec aer. Aerem igitur non facit aqua tenuissime discerpta: sed conuersa prorsus atque alterata. Porro quod qualitates hæ sint, palam facit in physica Aristoteles. Quemadmodum enim corpus inquit cum capax qualitatum sit, per seipsum totum secundum eas mutatur, fitque nigrum ex albo, & album ex nigro, sic quoniam qualitates sunt raritas etiam & densitas, corpus quoque iure secundum eas mutatur: ac spissitudinem accipiens fit aqua: terra autem si magis item densetur. quod ex densitate in raritudinem transeat, fit aer: magis uero adhuc rarescens, ignis euadit. Itaque naturalis raritudo, uel densitas quæ circa subiectum unum uersatur qualitas est. quæ uero nõ circa unum, sed plura corpora habetur, uel si naturalis sit, non qualitas, sed positus nominatur, qualis dentium frequentia est aut infrequentia. quanquam enim est ex natura, tamen quoniam nõ circa unum subiectum sed plura fit hoc est dentes, non qualitas dicitur, sed positus magis. hæc quidem hactenus. Verum cum Aristoteles qualitates esse rectitudinem ac curuitatem dicat, asperitatem autem lenitatemque non etiam qualitates, sed ut ante prodidimus asperum & lene situm solum indicet partium duntaxat, sunt qui addubitent utrum rectum quoque & curuum situm solum indicet partium, si recta quidem linea est ea quæ suis ipsius punctis æqualiter sita est: uel rursus a cuius medijs prædiuntur extrema. constat autem uel hic a tali partium lineæ positu fieri rectam, nempe ut pars eius nulla foras intro ue uergat, sed ab æqualitate obtendantur extremis media. Et uero curuum a rectitudine situ partium solo differt. quippe si inflectantur eius partes, forasque aliæ, quædam intro exorbitent, curuitatẽ fieri accidit. Ergo si & asperum & lene qualitates non sunt, hæc autem situm solũ significant partium, idem utique & rectum curuumque indicabit. huiusmodi igitur est quæstio: quam hunc in modum soluemus. Non est idem rectam lineam fractamque dicere. non enim fracta rectæ speciem qua recta est mutat, sed ex una duæ fiunt, & faciunt angulum. curua autem speciem habet a recta diuersam. nam curuum circunuexum significat. Porro quod circumferentia specie a recta euariet ex pluribus comperias argumentis. primũ quod pars circunferentiæ omnis parti omni cohæret. quo pacto & rectæ rursum lineæ partes inter se omnes conueniunt. nulla autem pars rectæ, cuiquam parti circunferentiæ congruit. Secundo, si consistentes ex rectis figuræ a compositis ex circunferentia specie distant, D specie igitur & recta a circumferentia dirimitur. Item recta linea neque una, neque duæ, sed tres minimum figuram absoluunt. Vnde rectilinearum prima figurarum ac simplicissima Triangulus est, quitribus rectis comprehenditur. circunflexa autem una circuli figuram reddit. est enim circulus figura plana una linea contenta, &c. Itaque si recta & ambiens diuersam sunt speciem sortitæ, non situ solo partium differunt. asperum tamen & lene solo dissident partium positu. quapropter nec circa hæc subiectum specie euariat, sed specie eadem manente superficiei, eadem aspera lenisque fit. Exempli causa si sit ager quadrangularis, quem quis fodiendo partim excauet, partim cumulet, asper fit manens quadrangularis. Ac si derasis rursum partibus eminentibus cauitates impleat, lene, quadrangulinon demutata specie, nec aliqua ascita qualitate redditur, sed dimoto duntaxat partium positu. Quamobrem probe Aristoteles rectitudinem curuitatemque id est circunferentiam qualitates dixit, asperum autem & lene pro sola partium positione differre.

Fortasse quidem igitur alius quispiã modus apparuerit qualitatis, sed fere qui maxime dicũtur hi sunt. 54

Alius quoque uideri forsitan queat qualitatis modus, sed qui E dicantur maxime, tot fere sunt{ Postquam species quatuor nobis qualitatis tradidit, conclusionem quoque infert, atque hi sunt inquit qualitatis modi. Cæterum cum non eius dictis acquiescere nos uelit, nec desidere ociosos, atque ab alijs mouendos, sed interno aliquo & nos ipsos motu esse præditos, ac scrutari, fortassis & alium uideri posse dicit qualitatis modum. At re uera præter traditos alius non est, ut diuisio monstrauit, & antiquiorum ac prudentium uirorum indagatio.

Qualitates itaque sunt quæ dictæ sunt. Qualia uero sunt, quæ secundum has denominatiue dicuntur, 55 uel quomodolibet aliter ab his. In plurimis itaque & fere in omnibus denominatiue dicuntur: ut a candore candidus, & a grammatica grammaticus, & a iustitia iustus, similiter & in alijs. In aliquibus uero, eo quod non sunt posita qualitati nomina, non contingit ea quę dicuntur, ab ijs denominatiue dici: ut cursor, aut pugillator, qui secundum naturalem dicitur potentiam, F a nulla qualitate denominatiue dicitur. non enim posita sunt nomina potentijs secundum quas isti quales dicuntur, sicuti disciplinis secundũ quas pugilles, uel palæstrici secundum dispositionem dicuntur. Pugillatoria enim & palæstrica disciplina dicitur: quales uero ab his denominatiue dicuntur, qui disponuntur. Aliquando autem & posito nomine non dicitur denominatiue quod secundum eam quale dicitur: ut a uirtute studiosus. Eo enim quod uirtutem habeat, studiosus dicitur: sed non denominatiue a uirtute. Non autem in pluribus hoc tale est. Qualia ergo dicuntur quæ denominatiue a dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis.

Sunt ergo qualitates eæ quas recensuimus. Qualia uero quæ denominatiue secundũ eas dicuntur{ Postquã de qualitate disseruit,

G nunc de quali sermonem instituit. fecit enim de utroque inscriptionem. Sunt ergo qualitates, ut albedo, nigredo, & similia, quale autem, quod partem qualitatum habet: ut album corpus, nigrum, dulce, amarum: uel modestus animus, uel iracundus: corporeaque id genus animaliaque. Et insumuntur quidem qualitates; qualia autem ijs participant. Dicuntur uero a qualitatibus qualia, ut proditum sæpe est. at non denominatiue ab ipsis dicuntur omnia: sed nõnulla & æquiuoce: aut ne ab ipsis quidem prorsus nominantur. nam & huiusce rei gratia dixit, uel alio quouis ab ipsis modo {In plurimis itaque, fermeq; in omnibus denominatiue dicuntur} Quoniam in sermone de qualitate exordiẽdo illam esse qualitatem dixit a qua denominatiue uocantur impertita, rudiusque de ea nec subtiliter pronunciauit (non enim hoc qualitatem omnem consequitur) nunc sermonem repetit, atque exactius decernit: uerumque esse in plurimis inquit sermonem, nempe a qualitate denominatiue impertita nuncupari. dicitur enim albus ab albedine: & a grammatica grammaticus {At in qualitatibus nonnullis, propterea quod non sint posita qualitatibus nomina, non dicuntur ab ipsis denominatiue impertita} Hoc in specie secunda qualitatis accidit, quæ in potentia atque impotentia posita est. Nam neque cursorij, neque pugillici qui naturalem in his quandam obtinent aptitudinem, denominatiue ab his dicuntur facultatibus. neque enim posita sunt his facultatibus nomina, propterea quod absolutis rebus actuque existentibus nomina indere consuetudo studuerit. nam pugillicus aut cursorius a scientijs in actu pugillica nempe & cursoria nominantur. Ac quid inquam in potestatibus quibus non sunt indita nomina: quando nec in quibusdam qualitatibus nomina habentibus denominatiue ab ipsis participantia dicuntur: quippe uirtutis particeps non uirtuosus, sed studiosus uocatur. Quandoque uero & æquiuoce appellantur a qualitatibus participantia, ut a grammatica scientia grammatica mulier: & musica a musica. Proinde ex quisitiorem nobis hoc loco uti diximus sermonem exhibens qualitatis, uerba illa adiecit, uel quouis alio ab ipsis modo. addidit uero hæc ob innominabilia ac diuersiuoca.

56 Inest autem et contrarietas secundum qualitatem: ut iustitiæ iniustitia contraria est: & albedo nigredini: & alia. Similiter autem & ea quæ secundum eas qualia dicuntur: ut iniustum iusto: & album nigro. Non in omnibus autem hoc accidit. Rubro enim aut pallido, aut huiusmodi coloribus nihil est contrarium, qualibus existentibus. Amplius. Si contrariorum alterum fuerit quale, & reliquum erit quale. Hoc autem palam est ex singulis proponenti alia prædicamenta: ut si est iustitia iniustitiæ contrarium: quale autem est iustitia: quale igitur & iniustitia. Nullum enim aliorum prædicamẽtorum aptabitur iniustitiæ, neque quantum, neque ad aliquid, neque ubi, nec omnino aliquid huiusmodi nisi quale. sic autem & in alijs quæ secundum quale sunt contraria.

Inest uero & contrarietas in quali: ut iustitia iniustitiæ contrarium: & albedo nigriciei} Accedit ad proprium qualitatis, eadem quemadmodum in prædicamentis alijs præceptionis regula utens. Proprium igitur qualitatis inquit est contrarietatem admittere. neque iniuria. nam & in corpore album nigro, & in anima iustitia iniustitiæ, & in utroque sanitas morbo repugnat. Spectatur K enim in qualitate proprie contrarietas. Etenim uel in prædicamentis alijs contrarietas penes qualitatem considerabatur. quippe & substantia huius nomine contrariorum est capax: & quæ contrarietatem admittunt relatiua ex qualitatis prædicamento desumebantur. Proprie igitur ut modo dixi contrarietas circa qualitatem uisitur. Cæterum non adest omni qualitati contrarietas. nihil enim est contrarium qualitatibus inter contrarias qualitates medijs: ut rufõ, uel luteo, uel similibus. Sed ne figuris quidem est contrarium, triangulo inquam, & circulo, atque id genus reliquis. Similiter inest contrarietas & qualibus. dicitur nanq; album nigro contrarium: & calidum frigido {Item si contrariorum unum quale sit, erit & alterum quale. Id uero prædicamenta alia proponenti constabit. Vt si iustitia est iniustitiæ contrarium qualis autem iustitia est, qualis igitur & iniustitia fuerit} Patet enim sub quod prædicamentum contrariorum quodque recipitur, alterum quoq; eodem iri relatum, ex eo quod in aliud prædicamentum nobis cooptari non possit. nam genus idem est contrariorum.

Suscipiunt autem qualia magis & minus. Album 57
enim magis & minus album alterum altero dicitur: L
& iustum alterum altero magis & minus. Sed & ipsa intensionem suscipiunt. Cum candidum nanque sit, contingit amplius candidum fieri. Non tamen omnia sed plurima. Iustitia nanque si dicatur magis & minus iustitia potest quilibet ambigere: similiter autem & in alijs dispositionibus. Quidam enim dubitant de talibus. Iustitiam nanque iustitia non omnino aiunt magis & minus debere dici: nec sanitatem sanitate. Minus autem habere alterum altero sanitatem aiunt: & iustitiam alterum minus altero habere dicitur. Sic autem & grammaticam, & alias dispositiones. sed tamen ea quæ secundum eas dicuntur, indubitanter recipiunt magis & minus. Grammaticior enim alter altero dicitur, & iustior, & sanior, sic autem & in alijs. Triangulum uero & quadrangulum non uidentur magis & minus suscipere: neque aliqua aliarum figurarum. Quæ enim diffinitionem trianguli recipiunt & circuli, omnia similiter trianguli, uel circuli sunt. Eorum autem quæ non recipiunt rationem eandem: nihil magis alterum altero dicetur. Nihil enim quadratum magis quam parte altera longius circulus est. neq; alterum enim recipit circuli rationem. Simpliciter autem si utraque non recipiunt propositi rationem, non dicetur alterum altero magis. non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus.

Suscipit autem quale & magis & minus. Album enim magis & minus aliud alio dicitur. Et iustum aliud, alio magis et minus, & uero ipsum sibijpsi incremẽtum capit} Aliud consequens ipsius qualis, nempe suscipere magis & minus. album nanque albo magis & minus dicitur, & ipsum seipso albius. Hoc autem inquit nõ est omnibus consequens, idque merito. siquidem dictum. est ubi contrarietas ac mistio contrariorum uisitatur, ibi magis quoque & M

minus

A minus considerari. ubi nec contrarietas, nec contrariorum mistio est, ibidem nec magis minusq; spectari. {Iustitia uero an magis quã iustitia & minus dicatur sane quis dubitauerit.} Quod autem non in omni qualitatis prædicamento suscipi magis & minus dicere conueniat, patet ex eo quod circa hæc quidam addubitant, nolentes iustitiam magis & minus iustitia esse, & sanitatem sanitate, & similia. uerum de his Aristoteles non articulate nobis rationem explicat. nos uero hæc de ijs in medium afferimus, affirmamusq; admitti citra cõtrouersiam a qualibus quem in modum diximus magis & minus. a qualitate tamen quæ finibilis est ratione, magis minusq; non suscipi, ut iustitia, sanitate, ac similibus. iustitia enim ipsa per se non utique magis & minus quam iustitia fuerit. nam siquid iustitiæ finitionem non capiat, ne omnino quidem iustitia est. Vt enim sunt homines nihilominus ij quibus hominis finitio congruit, in quibus autem p.rts uel minima finitionis nõ conuenit, uel rationale, ut brutis, uel scientię capax aut mortale, ut angelis, nec omnino sunt homines, ita nisi iustitiæ, uel sanitatis, uel alicuius huiusmodi finitionem adæquabiliter accipiat, neq; tale erit iustitia, neq; sanitas, neq; eius generis quidpiam. Recipiunt tamen B hæc qualia magis minusque, quoad sibi siue plus siue minus unũquo lq; qualitatis uendicauerit. nam quod albedinis plus quam nigri indeptum est, magis album id dicimus plus nigredinis quã albedinis obtinente. similiter eum quoque magis iustum appellamus qui communicationem erga iustum uberiorem est amplexatus. & salubrem qui alijs magis sanitate fruitur. perindeq; in id genus omnibus. Quo enim pacto non æque ignis omnes qui circunstant si forte accidat calorem percipiũt, sed magis propinquiores quo pyram etiam liberalius fouent, remotiores minus, tametsi ignis unus idemq; sit calor, ita uel in qualitatibus omnibus arbitrari conuenit, nec intẽdi nec remitti per se eas posse. quod si in subiectis fiant corporibus, in quibus miscери quoq; natura sunt aptæ, contrariorũ plus minus admistione intenduntur aut remittuntur. {Triangulus autem quadrangulus quæ ipsum magis et minus accipere non uidentur neque aliarum ulla figurarum. nam quæ trianguli uel circuli rationẽ admittunt, omnes perinde trianguli sunt aut circuli.} Per hæc etiam magis & minus nõ omni inesse qualitati comprobat. neq; enim ulli competit figuræ. quippe triangulus nullus triangulo magis & minus triangulus dicitur. nanque horum uterque rationem similiter capit trianguli. neq; circulus circulo, quanquã C decies millies fuerit maior. nam suscipit & uterque horum similiter circuli rationem, pariq; in cæteris modo, in quibus eadem inuariabiliter ratio cohæret { Eorum uero quæ non admittunt, aliud nihilo magis quam aliud dicetur. nihilo enim quadrangulus magis quam parte altera longius quadratum circulus est} Hoc est quod sibi uult per hæc uerba. In quibus inquit ipsum magis minusq; cõsideratur, eadem in ijs finitio, non tamen similiter prorsus, oportet conueniat. nam si nulla euariatione cõgruat, non accipiunt ipsum magis & minus. Salubre exempli causa est quod ad sanitatem secommode habet. cõpetit exercitationi quoq; hæc ratio, & cibis, & urinis, alijsq; compluribus. Quandoquidem igitur finitionem eandem, non tamen indifferenter recipiunt omnia, sed ut sanitatis custos, exercitatio, cibus ut efficiens. lotia ut indicatiua, ipsum magis quoq; ac minus iure admittunt. dices enim exercitationem cibo magis salubrem. nam præsentem illa sanitatem tuetur: hic absentem reuocat. magis utro cibus quam lotia. tantum quippe duntaxat obtinent salubris lotia, quãtum dispositionem salubrem indicent. Quod si sit in quibusdam fintitio eadem nullo discrimine, aut prorsus diuersa, hæc ipsum magis ac minus non suscipiunt. Nam prorsus quædam diuersa, nonnulla prorsus eadem sunt: ut homo & D equus. nemo quippe dixerit hominem equo magis hominem: nec equum cane magis equum: quoniam diuersa plane sunt. sed neq; hominem homine magis hominem eadem de causa affirmabit: neq; equum equo magis equum: quoniam inter se sunt eadem penitus, finitionemq; eandem perinde accipiunt. Verum quoniam album in niue et ueste eandem finitionem, sed non citra differentiam admittunt, iure aliud magis quam aliud dicitur. suscipit enim diffinitionem utraq; non similiter eandem: sed nix ut cognatum habens album, propriæq; completiuum substantiæ, nec admittentes contrarij: uestis uero, arte comparatum si forte accidat, nec substantiæ completiuum, nec cõtrarij minime capax. idem quoq; in nigro modus est, atq; alijs. Polygonum igitur seu multangulus non magis triangulo circulus dicitur: quoniam eorum neuter finitionem recipit circuli. neque uero multangulus circulis alijs minus circulus perbibetur, eadem rursus ratione.

Horum itaque quæ prædicta sunt nihil est pro- 58
prium qualitatis. Similia uero aut dissimilia secundum solas dicuntur qualitates. Simile enim & dissimile alterum alteri non est secundum aliud, nisi secun- E
dum id quod quale est. Quare proprium est qualitatis secundum eam simile, uel dissimile dici.

Nullum itaq; ex ijs quæ recensuimus qualitatis proprium est. Similia uero & dissimilia in solis qualitatibus dicuntur} Quemadmodum in substantia atq; alijs fecit, ac reprobatis prius ijs quæ propria uidebantur, postea quæ propria re uera essent tradidit, ita uel hoc loco, reiectis duobus ipsius qualis consequentibus, nimirum inesse ipsi contrarietatem, & magis ac minus accipere, quasi non omne comitentur quale, eligit quod simile dicatur atq; dissimile. nanq; in aliorum prædicamentorum nullo id dicitur. Cæterum non ipsa qualitas, sed quali simile ac dissimile suscipiunt. Nam qualitas quæuis una eademq; est, si ipsa per se, nec in subiecto spectetur. quonam igitur pacto similis ipsa uel dissimilis sibijpsi fuerit? subiecto tamen insita simile ac dissimile excipit, uel prouenens syncera in ijsdem, uel contrarij similiter admistionẽ recipiens, itaq; subiecta ipsi similia secundum eam inter se eo reddens, uel dissimilia, quod non similiter in concretum deducatur, sed contrarij mistione ipsum magis & minus in subiectis admittat. Itaq; ea de re quo omni prædicamẽto proprium accommodemus, uti fecimus in F substantia, assignato eius proprio nõ nihil addentes dicentesq; substantiæ esse prædicamẽti propriũ, ut eius indiuidua unũ idemq; numero manentia contrariorum sint alternis capacia, atq; eo modo proprium omnis substantiæ consequens efficimus, ita uel hoc loco agemus, ac qualitatis proprium esse dicemus prædicamenti, ut ei subiecta indiuidua similia, uel dissimilia dicantur. sic nanq; & omni prædicamento consequens & soli conuenerit.

At uero non decet conturbari, ne quis nos dicat 59
de qualitate propositum facientes, multa eorum quæ sunt ad aliquid connumerasse. habitus enim & dispositiones eorum quæ ad aliquid sunt esse dicebamus. Pene enim in omnibus qualitatibus genera ad aliquid dicuntur, nihil autem eorum quæ sunt singularia. nam cum disciplina genus sit, idipsum quod est alterius dicitur: alicuius enim disciplina dicitur. eorum uero quæ singularia sunt nihil ipsum quod est alte-

G rius dicitur: ut grãmatica non dicitur alicuius grammatica: nec musica alicuius alterius musica. Sed forte secundum genus hæ ad aliquid dicuntur: ut grammatica alicuius dicitur disciplina, non alicuius grammatica: & musica alicuius disciplina, non alicuius musica. quapropter quæ singularia quidem sunt non sunt ad aliquid. dicimur autem quales secundum singula. hæc enim & habemus. scientes enim dicimur, eo quod habemus singularum scientiarum aliquas. Quare hæ erunt etiam qualitates quæ singulares sunt. secundum quas aliquando & quales dicimur: hæ autem non sunt eorum quæ sunt ad aliquid. Amplius. Si contingit idem ipsum & quale, & ad aliquid esse, nihil est inconueniens in utrisq; hoc generibus enumerare.

Minime uero turbari conuenit, nequis cum de qualitate uerba facere instituerimus, complura quæ ad aliquid sunt connumerare
H nos putet. habitus enim dispositionesq; ad aliquid esse dicebamus} Quandoquidem ei de qualitate sermo est, habitus uero ac dispositiones sub qualitatem redegit, quæ erant ad aliquid (nam ipse quoq; ad aliquid prius ea retulit, & habitum inquiens habilis rei habitum, & dispositionem rei disponendæ dispositionem esse) iccirco difficultatem sentiens duplici eam ratione soluit. ac primum leuius quidem, dein subtilius. habetq; solutio prima ad hunc modũ {Ferme enim in eiusmodi omnibus genera ad aliquid dicuntur, singulare autem nullum} Hæc solutio prima est difficultatis. Talium enim inquit genera ad aliquid referuntur: species uero ad quale: scientia uerbi causa est ad aliquid. genus est enim scientia: & scibilis rei scientia dicitur. Geometria uero ad aliquid nõ est, cum species sit scientiæ: sed ad quale reducitur. habet similiter res sese in habitu & dispositione, eiusq; notæ omnibus. habitus nanq; habilis habitus, & habile habitu habile. & dispositio disponendi dispositio: & disponendum dispositione disponendum. Sunt tamen qualitates sanitas uel morbus: & grammatica uel rhetorica: cum species habitus dispositionisue sint. quales enim secundum eas sumus: denominatiueque ab ipsis grammatici, uel rhetorici, uel salubres, uel morbosi, uel quouis modo appellamur. dicimur uero & scientes: non quod simpliciter scientiæ simus, sed particularis alicuius scientiæ participes, grãmaticæ, uel musicæ, uel alterius cuiusquã. Hæc igitur leuior est solutio. porro leuior est, quoniam in prædicamentis omnibus genera ad quod species quoq; prædicamentum referuntur, sese eodem recipiunt. Exactior autem sic pote habet {Item si idem forte sit quale & ad aliquid, absurdum nihil est in utroque ipsum genere censeri} Vt enim reducuntur ad substantiam pater & filius reducuntur uero & ad relationem, alia tamen atque alia ratione, ita absurdum nihil est habitus dispositionesque, ut res ad qualitatem, ut respectum quendam recipientia, ad ea quæ sunt ad aliquid referri.

DE FACIENDO ET PATIENDO.

60 RECIPIT autem agere & pati contrarietatem: & magis & minus. Calefacere enim ei quod est frige facere contrarium est: & calefieri ei quod est frigefieri: & delectari ei quod est contristari. quare suscipiunt contrarietatem: & magis & minus. est enim K calefacere & magis & minus: & calefieri magis & minus: & tristari magis & minus. Suscipiunt igitur magis & minus agere & pati. de his igitur tot dicuntur. Dictum est autem & de eo quod est situm esse in ijs quæ sunt ad aliquid quod denominatiue a positionibus dicitur. De reliquis uero, idest quando, & ubi, et habere, propterea quod manifesta sunt, nihil de ipsis aliud dicitur quam quæ in principio dicta sunt: quod habere quidem significat calceatum esse, armatum esse: ubi uero, ut in lyceo, in foro: & alia quæcunque de his dicta sunt. Igitur de omnibus generibus quæ proposuimus sufficiunt dicta.

Facere autem & pati tum contrarietatem, tum magis & minus recipiunt} Simplicia quædam sunt prædicamenta: quædam ipsum esse per simplicium combinationem complexumque obtinent. Simplicia sunt quatuor exposita, substantia, quantum, quale, & ad aliquid relata: per complexionem uero ad horum unum substantiæ, uel ad seipsam, sex fiunt reliqua: ut ex substantia & quanto, ubi, & quando: ex substantia & quali, facere, & pati: ex substantia & relatiuis, habere, & situm esse. Cæterum ut id quoq; intelligamus, proprie inquam prædicamenta supradicta quatuor esse, sex uero reliqua ex mutuo horum complexu fieri: ea quæ diximus ex diuisione sumamus. Ex ijs quæ sunt subsistunt alia per se: quædam ipsum esse in alijs possident. Subsistit per se substantia. Quorum esse in alijs est ea partim in respectu considerantur, ut relatiua: partim eodem carent. Quæ se ad aliud non habent, alia secari in partes possunt, ut quanta proprium enim id quanti esse dicebamus, nempe diuiduum in partes. Alia distribui in easdem nequeunt, ut qualitates. Hæc sunt quæ proprie ac primum prædicamenta appellantur. Alia uero sex fiunt complicata tribus reliquis substantia, quanto inquam, relationi, & quali. Quanto enim iuncta substantia duo prædicamenta efficit, quando, & ubi. nam tempori sociata prædicamentum facit quando. significat enim quando neque substantiam duntaxat, neq; tempus, sed substantiam quæ sit in tempore. significatiuum autem est temporis quando, tribus sui partibus, instante, præterito, consequente. Sin uero connectatur loco substantia, ubi prædicamentum conficit. quippe ubi neque locum solummodo indicat (non est enim locus in loco) neque substantiam: sed substãtiam quæ sit in loco. ubi autem loci declaratio est. diuiditurque sursum, deorsum, dextrorsum, læuorsum, prorsum, retrorsum. Rursus prædicamenta alia procreat duo substantia ipsi quali addita, faciendi & patiendi. nam facere & pati penes qualitatem fiunt. qui enim facit in aliquid, is aut calefaciendo, aut refrigerando, aut alia qualitate aliqua facit. Aliter quoque. Facere est in aliquid agere: & aut in seipsum agere, ut per sese laborare, cernere, sermocinari: aut in aliud, ut uerberans uapulantem uerberat. Et uero patiens uel incalescendo, uel nigrescendo, aut alia qualitate aliqua patitur. pati enim est ab aliquo alterari. Diuiditurque ita, ut uel in corruptionem a contrario ducatur: uel in perfectionem, ut uisio a uisibili. Iterum si relatiuis adijciatur substantia, situs prædicamentum facit. est enim situm esse talis corporis positus. atque in hæc diuiditur quæ sunt recubare, sedere, stare. situm autem, esse ad aliquid dicebamus. Ipsa uero sibi ipsi complicata in re quapiam arte constructa, prædicamentum habendi efficit.

M

significat

A significat enim habere substãtiæ circa substantiam obuolutionem. Hæc porro arte cõparata res aut tota est in tota substãtia, ut tunica in corpore, aut tota in parte, ut annulus in digito, uel telũ in manu. Dicitur nanq; tribus modis habere, in animo ut habitus, in corpore ut cicatrix, circa corpus ut pallũ, tunica, calceamẽtũ, arma. Cæterum proditis quatuor prædicamentorum rationibus finitionibusq; ac consequentibus, Aristoteles sex reliquorum neq; finitiones, neq; diuisionem in species tradidit: perinde quasi hæc nobis ex dictis incognoscere liceat. nos igitur cuiusq; definitionem oportet ad diuisionem in species edamus. Facere est in quidquam agere. cuius species duæ sunt. nam faciens aut in seipsum facit, ut animus seipsum uiuificans, cognoscensq;. aut in aliud, ut ignis in nos cum calefimus, atq; ut sensus circa sensibile agens. Vel aliter quoq; duplex est facere. per animi impetum, ut in cane latrante: per naturam, ut in ignis ustione. Pati uero est alterari ab aliquo. suntq; species eius duæ. nam aut perinde patitur ac quidquam quod in corruptionem agatur, ut lignũ quod ab igne uritur: aut uelut in perfectionem ducitur, ut cũ a uisibili pati dicimus uisum. deducitur enim uisus in perfectionem a uisibilibus: cũ proprium actũ recipiat. patitur discipulus quoq; a præceptore: neq; corrumpitur ipse, uerum
B perficitur. Rursus item duplex est pati. nam aut corruptuum est, ut secari, uri: aut perfectiuum, ut discere, legere. Positũ esse autem est situm quendam habere. huius sunt species tres, recumbere, sedere, stare. Aut enim ut sæpe cõmemorauimus reclinatũ corpus totum est, ac recumbere dicitur: aut partim reclinatũ est, partim rectum, & sedere nuncupatur: aut totũ est erectum, & stare appellatur. Quando est quod tẽpus declarat, uel quod est in tẽpore. species tres eius sunt, præsens, præteritum, & futurũ. Vbi est quod locum significat, uel est in loco. sex sunt huius species, supra, infra, dextrum, sinistrum, ante, & pone. Sex autem iure sunt loci discrimina. Est enim locus uti nos prodidimus finis ambientis quatenus ambitum cõplectatur, ambitum autem corpus est, quod in tria patescit spatia: quorũ secundum rectam lineam quodq; definite, nec secundũ aliam quampiam spectatur. Siquis enim dimensionẽ in longitudinem uerbi gratia nosse quanta sit parietis uelit, ad perpendiculum hanc metietur. est uero perpendiculũ recta linea. eodem modo si spatium in latitudinem, uel profunditatem quantũ sit cognoscere cuiquam libeat, id funiculo extento metietur, qui & ipse recta est linea. habet uero omnis recta duos fines. Ergo si tribus dimensionibus constat omne corpus, quælibet autem per rectam lineam figuratur dimẽsio, habetq; recta omnis linea duos fines, iure sex finibus corpus cõcluditur. Sex igitur si sint corpori fines, locus quoq; ipsum ambiens totidem habeat necesse est: quoniã locus secundũ dimensionem omnem corpus amplectitur sunt que dimẽsiones in longitudinem extrema, ut in animato dixerim, supra et infra: in latitudinem, dextrũ ac sinistrum: in profundum, ante & retro. Habere autem est substantiæ circa substantiam amictus hoc uero aut circundatur ut totum, uelut tunica totum corpus ambit: aut totum parti inducitur, ut annulus digito {Facere autem & pati contrarietatem recipiunt} Quærendũ hoc loco quid sit, quod ipsum facere & pati Philosophus non ad ea quæ sunt ad aliquid redigat, sed alterius esse ea dicat prædicamenti. faciens enim in patientem facit, et patiens a faciente aliquo patitur. quamobrẽ sunt hæc quoq; ad aliquid. Itaq; ad hoc dicimus infinitiua uerba naturæ actionum uel passionũ significatiua esse duntaxat. nam aut actionem tantũ, aut passionem declarant. alia autem uerba, uel participia, substantiarum, uel cũ actu, uel cum affectu coniunctionem indicant. Facere igitur & pati cũ infinitiua sint uerba, factionis ipsius indicatiua passionis ue sunt, nec ex eorũ genere quæ sunt ad aliquid. nemo enim ipsum facere in id quod patiet facere, uel ipsum pati ab eo quod est facere pati dixerit. patiens tamen uel faciens sub relatiua recipiuntur. nam faciens in patientem facit, & a faciente patiens afficitur. Quærit autẽ merito in naturali auscultatione Aristoteles, si ex faciendo patiendoq; prodeat motus, utrum in faciente an patiente spectetur. affirmatq; in patiẽte. est enim motus a potestate in actum uia. porro actus, est habitus ipsa adiectio. mouentur ergo quæ sunt indiga, atq; ab imperfecto ad perfectum eruntur. gram. motibus igitur cientur pluribus quæ plura desiderant: quæ paucis opus habent parcius mouentur. Deus sane Opt. Max. cum nihilo egeat, est prorsus immobilis. Faciens itaq; si habitũ in hoc ipso quod facit perfectiũ obtineat, non secundũ aliud quod facit mouebitur. patiens uero perinde quasi facientis egeat, quo infitam ei facultatem in actũ producat, iure ab eo quod est potestatis ad ipsum actus esse moueri dicitur quod natura esse idoneus est cũ prouebitur. Quamobrem unus est motus qui in solo patiente considerat. duplicem tamen licet esse motus rationem. potest enim & in faciente, & in patiente spectari. nam cum a faciente aspexerimus incohantem motũ in patiens desinere, factionẽ eam uocamus passionem uero, cũ a patiente exordiri eum, ac cessare in faciens uderimus. similis modus quoque in doctrina disciplinaq; est. Vnus est itaq; subiecto motus, ratione differens. Quæ uero ad aliquid habentur, nõ solum ratione, sed subiecto quoq; diuersa sunt. quamobrem ad aliquid non erunt facere & pati: cum circa subiectũ unum hoc est motum diuersentur: si ad aliquid pertinentia nõ relationem solum habere, sed subiecta quoq; uolunt diuersa. Quid ergo quod non de factione & passione titulum indidit quoniã duplex inquam est factio. siquidem et uia ipsa factio dicitur, ut ædificatoris actio, & finis ipse actionis, uerbi gratia domus. ne errorem igitur quãpiam æquiuocatio pareret, cumq; de fine disserere arbitraremur, ob id ita inscripsit, De faciendo & patiendo idest de actione ipsa & uia {Facere autem & pati tum contrarietatem tum magis & minus recipiunt} Neque iniuria. nam contrarietas in qualitatibus duntaxat cernitur. facere autem ac pati ex substantiæ complexu ad qualitatem consistit. Et uero magis minusq; ab illis suscipi sæpe prodidimus quæ & contrarietatẽ admittunt. Quandoquidem uero non omnis qualitas contrarietatem, neq; magis & minus recipit, cuiusmodi sunt figuræ, merito nec contrarietatem, nec magis ac minus suscipere omni faciendi & patiendi prædicamẽto est consequens. sed si magis minusq; accipiat quod est ex qualitate desiderantum, hoc ipsi inest. quod si ex qualitate prodeat quæ contrarietatem non capiat, neq; erit quidquã ipsi contrarium. Itaq; de propositis quidẽ generibus dicta sufficiunt} Ex pauculis hisce uerbis de solis cõceptibus prædicamentorũ intentionẽ esse suspicati sunt quidam interpretes. Arist. n. aiunt genera sola nouit posterius genita, ac mente cõcepta. Quippe uniuersale inquit ipse in cõmentatione de anima, uel nullũ est, uel posterius. quæ uero præ multis sunt, ne oĩno quidẽ uult esse, sed ea nænius dicit & superuacuas nugas.

DE OPPOSITIS.

61 DE Oppositis autem quot modis solent opponi dicendum est. dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter: aut ut ad aliquid, aut ut contraria, aut ut priuatio & habitus, aut ut affirmatio et negatio. Opponitur autem unumquodq; istorum, ut sit figuratum

G *dicere. tanquam ad aliquid quidem, ut duplum dimidio, tanquam contraria autem, ut malum bono. tanquam autem secundum priuationem et habitum, ut cæcitas & uisio. Tanquam uero affirmatio, & negatio, ut sedet non sedet.*

De oppositis uero quot modis opponi consueuerint dicēdum} Absoluta est prædicamentorum disputatio: ac postprædicamentorum sectionem auspicatur. nanq; diuisum esse in tres partes librū inter initia diximus: nempe in eam quæ prædicamenta antecedit, & quæ de ipsis agit prædicamentis, & quæ a prædicamentis consequitur. De uocibus quoq; in antepraedicamentis tractari quibus foret in prædicamentorum præceptione utendum, nobisque ignotæ ex usu essent commonuimus. in secundo autem segmento de prædicamentis ipsis, in tertio hoc est proposito, de uocibus quibusdam in prædicamentorum præceptionem assumptis, quarum notitiam quidem habemus nonnullam, cæterum non articulare distinctam atque explicitam. Quod uero hæc non seiuncta a prædicamentorum scopo sectio sit, ut sunt quidam arbitrati, tum ex ijs quæ diximus liquet, tum ex ipsa locutionis serie innotescit. H quippe coniunctioni quidem in sectionis fine præcedētis positæ, in hac ipsam uero coniunctionem intulit. nam cum in illa dixisset, Itaque de propositis quidem generibus dicta sufficiant, nunc in huiusce primordio inquit, De oppositis uero. Itaq; uel ex hoc patet scopi continuitas. Docet uero de oppositis primum. etenim mentionem horum fecit cum de quanto dissereret, quando oppositum esse magnum paruo non ut contraria, sed ut ad aliquid affirmabat. docere igitur hoc loco uult opposita quot modis dicantur. Obiacent ergo quatuor inquit modis opposita: uel ut ad aliquid, uel ut contraria, uel ut habitus & priuatio, uel ut affirmatio ac negatio. Cæterum quærendum est cur species quatuor solæ oppositorum, nec plures nec pauciores habeantur. & quænam sit huiusmodi ipsorum ordinis causa. ut ergo cur quatuor species sint condiscamus, dicamus hoc pacto. Opposita uel ut orationes, uel ut res mutuo sibi aduersantur. quæ ueluti res opposita sunt, aut in respectu quodam spectantur, ut quæ ad aliquid sunt. aut carēt respectu. si nusquam pertineant, aut in se mutantur inuicem, uelut contraria, ut album & nigrum: aut non mutantur, quemadmodum priuatio & habitus, ut uisus cæcitasque. obiacent ergo ut orationes affirmatio & negatio, ut Socrates ambulat, Socrates non ambulat. I ut res autem respectum habentes opposita sunt quæ ad aliquid referuntur, ut pater & filius: dextrum & sinistrum: scientia & scibile. ut res nullo respectu deuinctæ, atque in se mutuo transeuntes opponuntur contraria, ut nigrum & album: & calidum frigidumque. ut res autem quæ nec ullo respectu iunguntur, nec in se uicissim mutantur, habitus & priuatio, ut uisio & cæcitas. mutatur enim in priuationem habitus, ut uisus in cæcitatem. non tamen priuatio in habitum cōmeat, ut cæcitas in uisum. Porro priuationem hoc loco absolutam formæ potestatisq; ipsius corruptionem capit. at in auscultatione naturali non interitum absolutum potestatis, priuationem uocat (uult enim in libris illis priuationem quoque in habitum mutari) sed formæ solius absentiam. Cuiusnam igitur rei gratia species quatuor tantum sint oppositorum nobis aperuit diuisio. Quamobrem uero oppositionem statuerit relatiuorum primam, secundam contrariorum, tertiam habitus ac priuationis, quartam affirmationis negationisque, nunc explicabimus. Dicimus itaque ab ijs quæ molliorem oppositionem haberent, relatiuis inquam occepisse. haud enim hæc sua oppositione non se mutuo solum corrumpunt, sed simul etiam inuehunt. quippe uno posito, uerbi gratia patre, secum alterum quoque infertur, ut filius. sublatoque uno, simul aufertur & alterum cum alterum ipsum esse alteri præstet. Locum secundum obtinet contrariorum oppositio, ut albi & nigri. horum enim est oppositio quodam pacto ualentior: quoniam non se mutuo duntaxat non inferunt, sed etiam corrumpunt. alterum enim non permanet uno præsente. quanquam hæc inuicem quoque in se transmutentur, ut calidum & frigidum: album & nigrum. Tertium obtinent ordinem quæ per habitum ac priuationem repugnant. est enim horum ualidior oppositio contrariorum oppositione. nam mutantur in seinuicem contraria, priuatio nunquam in habitum transit. neq; enim ex cæco quis rursus uidebit, quod ad naturalem aut artificialem rationem attinet, nisi id diuina potestate acciderit. Postremo loco sita sunt quæ per affirmationem negationemque obnituntur. quippe horum oppositio ualentior est, quoniam in omnibus quæ sunt et non sunt uerum falsumque diuidit. dicitur enim Socrates uel esse dexter, uel dexter non esse. ueraque hæc sane diuisio est, uel si solus sit Socrates, uel cum pluribus, uel neque omnino sit. nam & solus si sit, uera est diuisio quæ eum dicit dextrum non esse. siue cum pluribus, similiter. L nam aut dexter est in pluribus, aut non dexter sed uel medius, uel sinister. utrumque autem non dexterum significat sed si ne omnino quidem etiam sit, uerum est dicere dextrum non esse. quo modo enim, si ne omnino sit quidem? Vox quoq; alba esse dicitur, uel non alba: & lapis aut habere uisum, aut non habere. Et uero hanc in omnibus oppositionem ueram esse non in particularibus solū oppositionibus, sed in uniuersalibus quoq; comperies. nam quæ sunt, aut dextra sunt, aut non dextra: uel alba sunt, uel non alba: uel uisum habent, uel non habent. non enim hæc oppositio in corporibus duntaxat, sed in incorporeis quoque obtinet locum. quippe nec illa dextrum habent situm: quandoquidem nec corpora sunt: neque sunt alba: neque nostro sunt usu prædita. Quin & non ens neque dextrum est, neque album, neque uisum obtinet. Ergo affirmatio & negatio uti prædiximus omnia entia & non entia dirimunt. oppositiones aliæ minime. nam nec relatiuorum oppositio in omnibus dicitur. siquis enim forte solus sit non esse dicitur dexter, aut sinister. sed neque ullum ex incorporeis, ut anima. quippe neq; dextra est, neque sinistra. Verum nec contrariorum oppositio esse enim uox alba non dicitur aut nigra, cum quædam etiam mollis uocetur. neque in coloribus hi sunt albi, illi nigri, quandoquidem sunt M & medij, fuscus, & pallidus, atque consimiles. Sed neque in priuatione & habitu. non enim cæcus esse dicitur lapis, uel præditus uisu. Merito igitur primam dixit relatiuorum, secundam contrariorum, tertiam quæ per priuationem & habitum, quartam quæ per affirmationem negationemque obitur: orsus nimirum ab ijs quæ oppositionem sunt molliorem sortita: progressusque ad ea quæ obiacent uehementius {Opposita uero sunt id genus singula, ut formula explicem, ceu relatiua quidem, quale duplum dimidio} Notitiam per hæc nobis quandam eorum tradit, sermonem in exemplis meditans: tum ita separatim unumquodq; discernit a reliquis: nequis eandem horum esse oppositionem putet. eandem nanq; esse oppositionem contrariorum relatiuorumque sunt quidam suspicati. contrarium enim inquiunt contrario contrarium est. Ad hoc igitur res quæ contrarietatem admittunt qualitates esse dicimus, ut album & nigrum: & calidum & frigidum. nemo quippe dixerit album nigro esse album. neque nigrum albo nigrum. ipsa tamen ad aliquid se habentium est contrarietas. neque absurdum quidquam sane est contrarietatem quæ relatiuorum sit, alijs in rebus

Pro hoc uidete Simplicium. 1. phy. in expositione. tex. 61.

uisitari

A uisitari. nanque ad aliquid spectantia propria non frui subsistentia dicebamus, sed in alijs prædicamētis consistere {Vt autem contraria, uelut malum bono} Bonum hoc loco non supersubstantiale dicit: quandoquidem huic non est oppositum malum. sed quod in generatione corruptioneque uersatur: quod malum habet contrarium. Est enim duplex bonum, alterum per se, Deo suppetens substantialiter, quod contrarium obtinet nullum: nam nihil contrarium est substantiæ. alterum per accidens, quod ad distinctionem contrarij dicitur, id inquam quod in nobis est. Quemadmodum lucem quoque duplicem affirmauimus, tum solarem, cui tenebræ oppositæ minime sunt: quoniam solis substantiam complet, substantialisque eius est. tum aeri infusam, ei per accidens iunctam, cui sunt tenebræ oppositæ, nimirum & ipsæ aeri lucis recessu superuenientes. Est uero & cognitio duplex, ut Plato quoque affirmat, altera intellectualis, quæ uerum duntaxat nouit, nec falsum habet oppositum: altera sunt cogitatiuæ opiniones, quibus est oppositum falsum. falso nanque cogitare opinariq; est. falso uero non est intelligere, siquidem mens amens esset. aut enim inquit Aristoteles attigit mens intelligibile, aut non attigit. quocirca uacat errore. huic igitur apud nos bono, generabili inquā, malum esse oppositū dicit.

Pro hoc facit quod dicit Arist. in fine. 12. Metaph. ubi ait q; primo nihil cōtrariū est. & quod asserit Simplici. 1. phy. in expositione te. 50. ubi hēt q; in sempiternis est, forma absq; priuatione num uero huic aduersetur dictū Arist. 1. physi. te. 81. ubi uidetur innuere priuationē esse cōtrariā primæ formæ, considera.

B 62 *Quecunque igitur ut ad aliquid opponuntur, ea ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipsa: ut duplum dimidij, hoc ipsum quod est, alterius dicitur. Alicuius enim duplum dicitur. & scientia scibili, tanquam ea quę sunt ad aliquid opponitur. & dicitur scientia ipsum quod est scibilis: & scibile dicitur ipsum quod est ad oppositum ad scientiam. Scibile enim aliquo dicitur scilicet scientia scibile. quæcunque ergo opposita sunt tanquam ad aliquid, ea ipsa quæ sunt oppositorum, uel alio quolibet modo adinuicem dicuntur.*

Quæ ergo, ut ad aliquid sunt opposita, ea quæ sunt aliorum esse dicuntur, aut ad ipsa quouis aliter modo} Relatiuorum oppositionem uult cum contrariorum oppositione non eandem esse demonstrare: probatque id tali in secunda figura utens syllogismo. Quæ opposita sunt ut ad aliquid, ea quæ sunt, aliorum dicuntur, ut dextrum sinistri dicitur dextrum. quæ uero ut contraria sunt C opposita, non ea quæ sunt dicuntur aliorum. nam album nigri album non dicitur. Opposita ergo ut ad aliquid ab oppositis, ut contraria diuersa sunt.

63 *Illa uero quę opponuntur ut contraria, ea ipsa quidem quæ sunt nullo modo ad seinuicem dicuntur: contraria tamen sibiinuicem dicuntur. Neque enim bonum mali dicitur bonum: sed contrarium. quare differunt abinuicem hæ oppositiones. Quæcunq; uero contrariorum talia sunt, ut in quibus nata sunt fieri, & de quibus prædicantur, necessarium sit alterum ipsorum inesse, horum nihil est medium. Quorum uero nō est necessarium alterum inesse, horum omnino est aliquid medium. ut ægritudo et sanitas in corpore animalis nata sunt fieri: & necessarium est alterum ipsorum inesse animalis corpori, uel ægritudinem, uel sanitatem, & par quidem & impar de numero prædicantur: & necesse est horum alterum numero inesse,* D *uel par uel impar: & non est horum aliquod medium, neque ægritudinis & sanitatis: neque imparis atq; paris. Quorum autem non est necessarium alterum inesse, eorum est aliquod medium: ut nigrum & album in corpore animalis nata sunt fieri: & non est necessarium alterum eorum inesse corpori. Non enim omne corpus, uel album, uel nigrum est. Sed & prauum & studiosum prædicantur quidem de homine, & de alijs compluribus: non est autem necessarium alterum eorum inesse ijs de quibus prædicantur. Non enim omnia aut praua aut studiosa sunt: sed est aliquid eorum medium: ut albi & nigri fuscum & pallidum: & quicunque alij colores. praui uero & studiosi quod neque prauum, neque studiosum est. In aliquibus igitur medijs posita sunt nomina: ut albi, & nigri fuscum, & pallidum, & quicunque alij huiusmodi colores: in aliquibus uero non est nomine facile medium assignare:* E *utriusque uero extremorum negatione medium definitur: ut quod, neque bonum, neque malum est, neque iustum, neque iniustum.*

Quæ autem sunt eiusmodi contraria, ut in quibus fieri natura sunt idonea, uel de quibus prædicantur, ipsorum inesse alterum sit necesse, eorum nihil est medium} Discreta relatiuorum a contrariorum oppositione, nunc seiungere eam a cæteris cogitat: priusq; ab habitus & priuationis oppositione discrimat. Quoniam uero ad hoc ei diuersarum enumeratio confert specierum quæ per habitum priuationemque sunt oppositæ, prius tradit nobis harum differentias. speciesq; ante hæc prodit diuersas contrariorum. Nimirum enim has quoq; ab ijs protinus discernit quæ per habitum priuationemque opponuntur. post uarias autem oppositorum per habitum priuationemque enumeratas species, eorum quoq; exponit differentias quæ per affirmationem negationemque obluctantur. postremo igitur hæc quoq; a cæteris discernit. nā si oppositionis cuiusque differentias consequentiaque nouerimus, oppositionum quoq; inter se discrimina facile intelligemus. F Primum igitur contrariorum ut dictum est diuisionem tradit. Habet autem hunc in modum potestate, Contrariorum alia medio carent, ut par & impar: alia medium obtinent, ut album & nigrum. Medium enim fuscum est, & colores reliqui. ac medio præditorum quædam sic habent ut abesse utraque a subiecto ualeant. Neque enim corpus omne album simul esse uel nigrum est necesse. nam esse & fuscum potest. quædam ita, ut ex necessitate præfinite alterū, nec quodlibet, adsit subiecto, ut caliditas ignis, nec unquam frigiditas. similiter & in niue frigiditas, caliditas nunquam: quod horū sic uterq; natura sit comparatus. atque hæc quidem tum diuisio, tum subdiuisio est. Cæterum superdiuiduntur & hoc pacto contraria medijs prædita. Mediatorum contrariorum quorundam media sunt nominibus, quorundam orationibus, atq; extremorū negatione explicata. Nominibus uocata sunt quæ albo nigroq; interiacent, ut fuscum, luteum, flauum, & similia. quod autem inter uitiosum studiosumque est medium, id non exprimitur nomine, sed negatione extremorum indicatur, quod neque uitiosum, neque studiosum est.

A {Quæ autem sunt eiusmodi cõtraria, ut in quibus fieri natura sunt idonea, uel de quibus prædicantur.} Contraria partim per accidens, partim per se sunt in subiecto, Declarauit igitur per hæc uerba, fieri natura sunt idonea, quæ per accidens: per prædicari, quæ per se subiecto insunt. Porro ipsum per se duplex est, ut in demonstratiua ipse commentatione affirmat, tum q; pars definitionis subiectæ rei fit, ut animal rationale, sunt enim per se hæc in homine, atq; in eius deffinitione assumuntur. tum id in cuius finitione subiectum accipitur: ut par & impar: similitas & desimilitas. (adunci nasi affectum per desimilitatem intelligo) nanq; & par & impar finientes subiecti meminimus, numeri inquam. Par enim dicimus numerum qui bipartito ac æq; diuiditur. & impar numerum qui in partes æquales duas secari nequit. At numerum finientes non necesse est paris meminisse. est enim multitudo collectusq; unitatum numerus. etsi numerus omnis maxime aut par est aut impar. Similitatem quoq; ac desimilitatem finientes, subiectum hoc est nasum necessario commemoramus, similitatem dicentes cauitatem esse in naso: desimilitatem gibbum in naso {Ipsorum inesse alterum sit necesse, eorum nihil est medium} Quod dicere uult his uerbis, huiusmodi est. Quæcunq; sunt id genus contraria, ut ipsorum inesse alterum, uel ut per seje, uel ut per accidens ex necessitate oporteat, horum nihil interiacet medium. Quæ uero sunt eius notæ ut ambo a subiecto abesse possint contraria, in quo uel per se, uel per accidens insunt, hæc medio non carẽt, sed aliquod habent intersitum modium. Exemplum prioris. Contrariorum quæ per se insunt, par & impar. horum enim nihil in medio est. prædicatur autem par et impar de numero: est enim numerus omnis aut par aut impar. nec q̃ id genus non sit dici poterit numerus, eorum autem quæ per accidens insunt contraria, morbus & sanitas. nam nec est aliquid horum medium, sed adesse ex necessitate eorum alterum animalis corpori est opus, uel sanitatem, uel morbum. ut per morbum, omnem quonis modo a naturali statu egressum capiamus. Secundi exemplum. eorum quæ per se adsunt: ut caliditas igni: & aquæ frigiditas. medium enim est horum aliquod, tepidum puta. eorũ uero quæ per accidens, ut nigrum in nobis atq; album, quibus fuscum est medium. {Et uero prauum studiosumq; de hominibus prædicatur, alijsq; compluribus} Nam non in hominibus solum, sed in alijs quoque prauum ac studiosum dicimus, ut in equo. {In nonnullis itaq; impositа sunt medijs nomina.} Per hoc uti iam diximus alio pacto mediatorum contrariorum subsidiuisionem facit: subsidiuisis iam ante his ipsis in ea q̃ abesse a subiecto ambo possunt, et quæ per oppositorũ alterũ subiecto ex necessitate ineẽ natura sunt cõparata.

B

C

64 Priuatio vero & habitus dicuntur quidem circa idem aliquid: vt visio & cæcitas circa oculum. Vniuersaliter autem dicere est in quo natus est habitus fieri, circa hoc dicitur vtrunq; eorum fieri. priuari vero tunc dicimus vnumquodq; habitu susceptibilium, quãdo in quo natum est inesse, vel quando illud natum est habere, nullo modo insit. edentulum enim dicimus nõ quod non habet dentes, & cæcum non quod non habet visum: sed quod non habet quando natum est habere. aliqua enim ex natiuitate neq; dentes habent, neq; visum: sed non dicuntur edentula, neq; cæca. Priuari vero & habere habitum non est priuatio & habitus. Habitus enim uisus est, priuatio uero cæcitas: habere autẽ uisum, nõ est uisus: nec cæcum esse cæcitas. Priuatio enim quædã est cæcitas: cæcũ uero esse priuari, nõ priuatio est. Amplius si idem esset cæcitas & cæcum esse, utraq; de eodem prædicarẽtur. sed cæcus quidem dicitur homo, cæcitas uero homo nullo modo dicitur. Opponi quidem etiam ista uidentur, priuari scilicet et habere habitum, quemadmodum priuatio & habitus. idem enim modus est oppositionis. nam sicut cæcitas uisui opponitur, sic cæcum esse & uisum habere opponuntur. Non est autem neq; hoc quod sub affirmatione & negatione est, affirmatio & negatio. Affirmatio nanq; oratio affirmatiua est: & negatio oratio negatiua. quod uero sub affirmatione & negatione est, nulla est oratio: sed res. dicuntur autem hæc esse opposita adinuicem, tanquam affirmatio & negatio. nam & in his modus oppositionis idem est. sicut enim affirmatio ad negationem opponitur, ut quod sedet, ei quod non sedet: sic & res quæ sub utroq; est opponitur, scilicet sedere aliquem ad non sedere.

D

E

Priuatio & habitus circa idem aliquod dicitur. {Cum diuersa contrariorum opposita significata prodiderit, nunc eo conuertitur ut de priuatione atq; habitu doceat. iam enim diximus horum ipsi præceptionem ut a relatiuis ea dirimat conferre. neq; ut ab ijs solum, sed ab alijs quoq; oppositis discernat. {Vniuersaliter autem loquendo in quo fieri habitum natura comparatũ est, eorũ utrunq; circa id dicitur.} Vt rem designaret, in quo natura comparatum est dixit: quo particulare ostenderet. natura autem comparatum, ut tempus indicaret. Illud uero sciendum est, aut esse priuationem substantiæ, aut facultatis, aut habitus, aut actionis, aut rectitudinis, aut perfectionis. sed nomen ac res, priuatiua in quibusdam sunt ut in insensibili. in quibusdam nomen solum, ut in immortali, atq; in corporeo, illo q̃ a corpore in oppositũ seiungitur. in aliis res duntaxat, non etiam nomen, & in surdo, & cæco. Tria sunt in habitu priuationeq; obseruanda: quod accipere natum est: & quando accipere, idest quo tempore sit aptum natura: & in qua parte accipere. Circa quam rem uero dicitur habitus, circa eandem & priuatio spectatur. non enim uisu priuatum esse dicimus lapidem: quoniam ne omnino quidem uisum recipere suapte natura est aptus. neq; uisu priuatum in pedibus hominem: quando uisum ab eo hac in parte obtineri natura noluit. Sed nec catulum uisu orbatum uocamus: quoniam eo tẽpore uisu frui haudquaquam est natura idoneus. at hominem in facie uisu priuatum appellamus, q̃ homo uisus compos esse naturæ beneficio est aptus, & hac in parte, atq; hoc similiter tempore. Dicimus quoq; edentulum non eum absolute qui dentes non habeat. haud enim sane & receuis natum: cum habere tunc sit natura ineptus. quomodo nec cæcum catulum. sed eum uerbi gratia edentulum nominamus qui a senectute uel afficiu priuatus est dentibus. {Priuatum uero esse & habitum obtinere non est priuatio & habitus.} Vult hisce Philosophus non esse idem priuatum esse cum priuatione, neq; habitum obtinere cum habitu ostendere nam qualitates quidem sunt habitus ipse ac priuatio: qualia uero ea quæ habitum ac priuationem habent: denominatiueque ab ipsis dicuntur, ut albedo & album. est enim qualitas illa: hoc quale. denominatiue ab ea deductum. Ostendit hoc

F

porro

G porro Philosophus habitum inquã aliud esse & habere habitum, non per genera, hoc est per habitum & habitu præditum, uel per priuationem et priuatione affectum, sed per species, hoc est uisum ac cæcitatem, & eum qui uisum cæcitatemq; obtinet: quippe notiores sunt species generibus Perspicuum nanq; in his est aliud cæcitatem, aliud habens cæcitatem esse: & aliud uisum, aliud qui uisum habeat. sunt enim qualitates illæ: hæc participes earum substãtiæ. itaq; si diuersa sint hæc, erũt & horũ diuersa genera. Vt enim uisus cæcitasq; ad eum qui uisu ac cæcitate præditus est sese habet sic habitus & priuatio ad eum qui habitum & priuationem obtinet: quoniam ut ad habitum quoq; ac priuationem sese habẽt uisus & cæcitas, sic cui uisus & cæcitas est, ad eum, qui habitum & priuationem habet conferitur: cum eorum sint species. Ergo si diuersa sunt hæc, uisus inquam & habens uisum, & cæcitas ac cæcitatem habens, erunt & genera eorum diuersa, habitus inquam et qui habitum possidet: & priuatio ac priuationem obtinens. Cæcitas præterea si idem esset ac cæcũ esse, prædicaretur de eodẽ utrũque. Et aliter, si uisus esset idem inquit & uisum habens, ambo de subiecto eodem prædicarentur. Vt enim mortalis, & homo, meropsq;, cum idem sint, de uno subiecto appellantur, ita hæc quoq; si essent eadem, de uno subiecto codemq; dicerentur. nunc uero habere homo cæcitatem aut uisum fertur, cæcitas autẽ uel uisus simpliciter esse non dicitur. quamobrem uel ex hoc constat esse hæc differentia. Verum tametsi diuersa hæc inquit sunt, habent eundem tamen oppositionis modum. nam ut cæcitati obiacet uisus, ut priuatio habitui: sic habere uisum et cæcitatem, per habitum sunt priuationemq; opposita. {Neq; uero quod sub affirmatione negatio neq; comprehenditur idem affirmationi est & negationi.} Nec q̃ sub affirmatione ac negatione continetur id affirmatio est & negatio. Quod autem non idem sit affirmatio negatioq; illis quæ ab iis significantur, probat ex eo q̃, orationes sint affirmatio ac negatio: res uero, quæ ab ipsis indicantur. Nã sedet Socrates, oratio est: res autem, sedens ipse Socrates. est enim substantia cũ actione quadam, cum eo inquam q̃ sedere est. Et uero eodem hæc oppositionis modo sibi mutuo refragantur. etenim quemadmodum Socrates sedet dicens oratio, Socrates non sedet dicenti aduersatur, ita & sedens Socrates non sedenti repugnat. oppositio enim utraq; ut affirmatio negatioq; obnititur.

H

65 I Quod autem priuatio & habitus non opponantur ut ad aliquid, manifestum est. nõ enim dicitur idipsum quod est oppositi, uisus enim non est cæcitatis uisus: nec ullo alio modo ad ipsum dicitur. similiter autem neq; cæcitas uisionis cæcitas dicatur, sed priuatio quidem uisionis dicitur: cæcitas uero uisionis non dicitur: neq; uisus cæcitatis. Amplius ad aliquid omnia ad conuertentia dicuntur. quare si cæcitas eorum quę ad aliquid sunt esset, utiq; & cõuerteretur ad illud ad qd̃ dicitur sed non conuertitur. non. n. dicit uisus, cæcitatis uisus.

Quod autem non ut relatiua priuatio habitusq; opponantur perspectum est. {Cum nos de oppositione seorsum unaquaq; docuerit, nunc discretionem earum facit, oppositaq; ut ad aliquid ab oppositis per habitum ac priuationem discriminat. iam enim ea a contrarijs diduxit. Sermonem autẽ in speciebus rursus utpote clarioribus exercet, uisu inquam & cæcitate. ac primum quidem ita probat, iterum syllogismo in secunda utens figura. Relatiua, ea ipsa quæ sunt dicuntur oppositi. nam pater filij pater, & dextrum sinistri dicitur dextrum. quæ autem per habitum ac priuationem obstant, non ea ipsa quæ sunt oppositorum perhibentur. uisus quippe non cæcitatis esse uisus dicitur. ergo relatiue opposita ab ijs quæ per habitum priuationem obuertuntur diuersa sunt. atq; ita primum quidem ab illustriore confessoq; demõstrauit, ab eo inquã quod uisus non cæcitatis uisus dicatur. dein post quoq; & ab ambiguo, nempe q̃, nec cæcitas uisus dicatur cæcitas. nam hoc dici uidetur. {Nec aliter ullo ad ipsum modo uisus dicitur.} Hoc est quocunq; modo finxeris nomina, nullo pacto ad oppositum dicitur. Quod ergo dixit nec ullo modo, siue ad ablatiuum, siue ad alium casum assignaueris indicat. neq; enim uisus cæcitate est uisus. eodem modo nec cæcitas uisus dicitur cæcitas. quippe qui uisus est, is non fit cæcitas, tametsi cæcus fit oculus. Non itaq; cæcitas uisus cæcitas dicitur, sed uisus priuatio cæcitas, nam nec tenebræ lucis dicuntur tenebræ, sed lucis priuatio. quippe nec lux fit tenebræ, sed tenebrosus aer, quanquam per lucis obumbrationem. Sciendum porro est non uidendi actum solum, sed subiectum quoque hoc est oculum græcis uisus nomine indicari. Cum ergo in confesso idest uisu non eum dici ad oppositum probauerit, nunc in ambiguo demonstrat. nam cæcitas inquit priuatio quidem dicitur uisus, cæcitas autem uisus neq uaquam. An uero potius cæcitatem non uisus cæcitatem dici perperam pronunciari arbitramur. Nam si priuationem ut ipse quoq; inquit uisus dicimus, genus autem si de quoquam prædicetur, speciem quoq; eius aliquam prorsus de quoquam prædicari est necesse. (non enim quidquam esse animal potest quod omnino aut homo, aut equus, aut aliorum quodpiam non sit animalium. Similiter nec priuationem esse licet, nisi quidquã sit omnino cuius esse priuatio dicatur) prorsus ergo est necesse oppositam quoq; illi secundum speciem habitudini priuationẽ illius esse perhiberi. quippe uisus priuatio non simpliciter uniuersaliterq; omnino priuatio est: sed quædam uidelicet priuatio, idest cæcitas. Ergo si uisus priuatio est quædam priuatio, ipsa autem quædam priuatio nihil quam cæcitas aliud est, cæcitas ergo est uisus cæcitas. Qui enim fieri possit quin cum dicatur alicuius esse genus, species quoq; alicuius esse affirmetur, si quidem ni species aliqua sit, genera existere minime possunt? aut ergo nec genus, idest priuatio, uisus esse priuatio, dicitur: aut si genus, omnino & species aliqua. Sed ad hoc dixerit quisquam fortassis, si scientiæ priuationem dicimus, speciẽ priuationis huius aliquam (quod ad rationẽ hanc attinet) esse oportere, quæ de scientia prædicabitur, aut ad eam dicetur. nunc uero cum prædicetur de scientia genus, quampiam de eadem prædicari speciem non comperimus. Dicere ergo ad id possumus nec nominatam haberi oppositam scientiæ priuationem, quemadmodum opposita uisui priuatio cæcitas nuncupatur. quæ si esset, ad scientiam illa quoq; ut cæcitas uisus cæcitas, diceretur. Vbi enim priuationes per habituum priuationem nominamus, ut inscitiam, indocilitatem, indoctum, ac similia, non talia item esse uidelicet oppositi, sed recipientis dicuntur. Non enim inscitia scientiæ fertur inscitia, sed animi inscitia: & indocilitas. & reliqua. quippe in seipsis oppositum de quo priuationem prædicant habent. Verum priuatio etsi id ipsum quod est fertur esse oppositi, non genus ipsum duntaxat, sed si species quoq; nomen adepta sub hac quæpiam sit, non præterea tamen & habitus id ipsum quod est priuationis esse dicitur. at oppositorum utrũque relatiuorum id ipsum quod est oppositi esse perhibetur, ut Aristoteles deinceps affirmat. quamobrem per habitum priuationẽq; opposita a relatiuis secerni hac ratione possunt. Quin & hoc affirmare habeas, non quo modo ad aliquid spectantia ea ipsa quæ

K

L

M

G *sunt esse aliorum dicuntur, sic priuationem quoq; esse habitus priuationem dici. Nanque in relatiuis, ut quæ causæ sibi mutuo sunt, sic esse utrumque oppositorũ dicitur reliqui, habitudinis uero esse ferunt priuatio, ceu quæ illi non ut sit, sed cõtra, ut non sit causam præstet. An uero est Aristotelis dicto opitulari, priuationem dici uisus esse priuationem asserenti, cæcitatem autem uisus non item. Ecce itaque lucis quoq; priuationem, tenebras autẽ lucis non etiã dicimus. tametsi quid aliud sunt tenebræ obsecro quam lucis priuatio, ut uisus priuatio cæcitas? uelut alibi nobis pluribus ostẽsum est. Verum quo pacto crurum uerbi gratia lesionẽ uocamus, haud uero etiam integritatis, uel restitudinis, uel quouis modo crurum situm naturalem appellaueris, sic tenebras quoq; uidelicet aeris, lucis autẽ tenebras non etiã nominamus, Ergo nec uisus cæcitatẽ: sed si quidem loquendũ sit oculorum cæcitatem ut oculorũ quoq; lesionẽ nuncupamus. significat enim partem oculus uisionis participem uisio potestatem ipsam. Verũ quoniam ut in qualitatibus alijs quoq; sæpenumero qualitate affectũ corpus æquinoce cũ qualitate nominamus, albumq; tum dealbatũ corpus, tum ipsam appellamus albedinem, & calidum frigidumq; similiter, & graue ac le-*

H *ue, & reliqua: ita uisum quoq; non in potestate solum, sed in ipsis quoq; instrumentis ferimus oculosque ipsos uisum seu lumina uocamus: cæcitatem uero oculorum esse proprie dicimus: at oculi uti prodidimus uisus proprie græcis uocantur. itaque ea de re cæcitatem quoq; uisus dicimus, non in facultate uisus nomen, sed in instrumentis nimirũ ferentes. Aristoteles autem cæcitatem non ad oppositam facultatem dici, id quod uerum est, arbitratur. Reliquum est igitur illud soluamus. quomodo cum genus cæcitatis, priuatio inquam, esse prodatur habitudinis, non species quæuis etiam priuationis oppositæ cuiuspiam esse habitudinis dicatur: si uerum quidem sit in quibus dicitur genus, omnino subiectam quoque generi prædicari aliquam speciem. Habitus igitur res quasdam esse formam adeptas subsistentesq; aio. proinde genus cum sit habitudo, subiectas quoq; ipsi species iure existentes ac forma quapiam naturali præditas obtinet singulas. At priuatio nihil aliud porro est quam habitus absentia. quamobrem non ens est ipsa sua ipsius ratione. quonam igitur modo non entis ut existentis aliquas species quærimus? Quare tametsi specialior aliqua cuiquam habitui sit priuatio opposita, non ut ens aliquod tamen, sed rursum ut non ens per habitus negationem obstat, ut docto indoctum, ut dẽtes obtinenti edentulum, ab e priuatiua particula, & dente. Itaq; & par-*

I *ticulares hæ priuationes quidem similiter generi per habitus negationem dicuntur. Quod si priuationi cuiquam inditum nomen usquam fuerit inuentum, ut uisus absentia cæcitas nominatur, uel luminis absentia tenebræ, non de habitus absentia, sed de affectu penes subiectum genito, aut aliqua re alia quæ habitudinis absentiæ supuenit eiusmodi prædicatur nomẽ: ut tenebræ quod scotos græcis dicitur, a uerbo sciazin quod est obumbrare. est autem umbra lucis impedimentum quod in aere. uel simpliciter in perlucido contingit. uel, ut Herodianus auctor est, a uerbo schethin, quod est detinere. detinet enim quo minus intelligamus, aut aggressus actusq; complures remoratur. Et uero typhlotes forte idest cæcitas a typhin idest inurendo deducitur. & typhlos idest cæcus, quasi typhos, hoc est inustos habens oculos nominatur. Oculi enim inquit Poeta paulatim uruntur inanes. quemadmodum peros quoque idest oblæsus a petho peso idest patior patiar, ut ab ocno ocneso ocneros, hoc est a pigresco pigrescam piger factus est. Merito igitur talia esse instrumentorum dicuntur, nec habituum. ipsorũ namque sunt habitibus subiectorum, nec ipsorum habituum affectus*

K *{Item relatiua omnia ad reciprocantia dicuntur} Alio rursus probat syllogismo, diuersa esse ut ad aliquid opposita ab ijs quæ per priuationẽ habitumq; aduersantur. sic enim potestate inquit. Quæ sunt ad aliquid ad conuertentia dicuntur. nam ut pater filij pater, sic & filius patris filius dicitur. quæ uero per habitum priuationẽ quæ obsistuntur, non dicuntur ad conuertentia. non enim uisus esse dicitur cæcitatis uisus. relatiua igitur ab ijs quæ per habitum ac priuationem opponuntur diuersa sunt.*

Quod autem neque ut contraria opponuntur quæ 66
secundum priuationem & habitum dicuntur, ex his manifestum est. Cõtrariorum enim quorum nihil est medium, necesse est uel in quibus fieri nata sunt, aut de quibus prædicantur, alterum ipsorum inesse semper. eorum enim nihil medium erat quorum alterum inesse susceptibili necessarium erat: ut in languore & sanitate: & impari atque pari. Quorum uero aliquid medium est, nunq̃ necesse est omni inesse alterum. ne-

L *que enim necesse est omne susceptibile uel candidum, uel nigrum esse: neque frigidum uel calidum. horum enim medium aliquid nihil esse prohibet. insuper autem & horum erat aliquid medium, quorum alterum inesse susceptibili non necessarium erat: præter illa quibus unum inest naturaliter: ut igni calidum esse: & niui candidum. in his enim determinate necessariũ alterum est inesse, & non utrũuis contingit. non enim possibile est ignem frigidum esse: neq; niuem nigram. Quare omni quidem susceptili non necessarium est alterum ipsorum inesse: sed solis quibus natura unum inest. & his determinate unum, non utrunuis contingit. In priuatione autem & habitu neutrum eorum quę dicta sunt uerum est. non enim semper alterum eorum inesse susceptibili necessarium est: quod enim nondum natum est habere uisum, neq; cęcum, neq; uisum habẽs dicitur. Quare non erunt hæc ut ea cõtraria quorum*

M *nihil est medium: Sed neq; ut ea quorum aliquid est medium. necessarium enim est aliquando omni susceptibili alterum eorum inesse. Quando enim iam ad habendũ uisionem natum fuerit, tunc aut cæcum, aut habens uisum dicetur. & eorum non determinate alterũ sed utrunuis contingit. non enim necessarium est uel cæcum uel uisum habens esse: sed utrunuis contingit. in contrarijs autem quorum aliquid medium est, nunquam necessarium erat omni susceptibili alterum inesse, sed quibusdam. & his determinate unum, & non utrunuis contingit. Vnde palam est quod secundum neutrum modorum tanquam contraria opponuntur ea quæ secundum priuationem & habitum opponuntur. Amplius. In contrarijs quidem cum sit susceptibile, adinuicem mutationem fieri possibile est: nisi alicu*

unum

A *unum natura inest. ut igni calidum. etenim sanum possibile est languere: & calidum nigrum fieri: & calidum frigidum: & ex studiose prauum, & ex prauo studiosum fieri possibile est. prauus enim ad meliores exercitationes deductus & doctrinas, etsi ad modicũ aliquid proficiat ut melior sit, si certe semel quãuis modicum incremẽtum sumpserit, palam est quia aut perfecte mutabitur, aut satis multum incremẽtum sumet. semper enim bene mobilior ad uirtutẽ fit, etiam quod cunq; incrementũ sumpserit a principio. quare etiam uerisimile est plenius eum sumere incremẽtum. & hoc dum semper fit, perfecte in contrarium habitum restituetur: nisi forte tempore prohibeatur. Verum in priuatione & habitu impossibile est adinuicem mutationem fieri. ex habitu enim in priuationem mutatio fit: a priuatione uero in habitũ impossibile est. neq; enim*

B *cęcus factus aliquis, rursus uidit: neq; cum caluus fuerit, rursus comatus factus est. neq; cum fuerit edentulus, dentes ei iterum orti sunt.*

Quod uero neque ut contraria quæ per priuationem atque habitum dicuntur sint opposita, ex his dilucescit} Oppositionem relatiuorum a contrariorum & habitus priuationisque oppositione discreuit. nunc deinde quæ per priuationem & habitum ab ijs quæ ut contraria sunt opposita dirimat. ac relatiua quidem ab affirmatiue negatiueque appositis discernere, quod ad consequentia attinet, debebat, nerum quoniam futurum est ut ratione quadã una quæ per affirmationem negationemque opposita sunt secernat a reliquis, iccirco nunc relatiuorũ ab affirmatione ac negatione discretionem differt, ne eadem dicere cogatur. Rursus autem speciesrum contrariorum enumerationem repetit. uult enim cõtrariorum omnium opposita habitus priuationisque oppositioni conferre. {Nam contrariorum quibus nihil medium interiacet, necesse est in quo natura fieri} Numerũ enim aut parem esse aut imparem omnino, & animal aut male aut bene uiuere est necesse. quibus autẽ medium quidquam intercedit. nunquam inesse omni alterũ necesse

C *est. neq; enim corpus ex necessitate aut albũ aut nigrũ est omne. nam fuscum quoq; est. uel rursus calidum aut frigidum. est enim tepidum {Præterea est & horum medium aliquod quorum inesse receptiuo alterum non est necesse: nisi in quibus est unum natura} Tertia fuit hæc species contrariorum, quæ aliquod obtinet mediũ nisi adsit ex necessitate contrariorum alterum acceptiuo, quoniã sit illi natura insitum, ut igni calidum, album niui. Nunquam uero contrariorum utrunq; a susceptiuo potest abesse. quippe fieri nequit ut calidus non sit ignis: nix non frigida: terra nõ grauis: ignis non leuis {At in priuatione atq; habitu neutrum est ex ijs quæ dicimus uerum} Cum diuersos nobis contrariorum oppositionis modos ad memoriam reuocauerit, nunc nullo ex dictis modo contrariorum oppositionem esse cum priuationis habitusq; oppositione eandem posse ostendit. priusq; a contrarijs eam medio carentibus discernit. ita enim inquit {Neq; enim susceptiuo inesse eorum alterum perpetuo est necesse} Nam in contrarijs quæ medio carent inest ex necessitate alterum subiecto. at in ijs quæ per habitũ sunt priuationemq; opposita, subiecto non adest necessario alterum: sed potest utrunq; abesse. quippe nec cæcus catulus est, nec uisum obti-*

net. & editus recens in lucem puerulus neq; edẽtulus est, nec præditus dentibus. At uero numerus est aut par prorsus, aut impar. & animal ex necessitate uel aduersa conflictatur, uel secũda fruitur ualetudine. alter ergo quæ medijs uacant contraria, alter priuatio habitusq; opponuntur {Sed nec quibus est intersitum mediũ. susceptiuo nunq; omni aliquando inesse ipsorum necesse est alterũ} Nunc quæ per priuationem atq; habitum sunt opposita a contrarius medium obtinentibus discernit. ac primum sane ab his quæ utroq; cõtrario possunt a subiecto suapte natura abesse. Nanq; in oppositis per habitum ac priuationem cũ horum capax subiectum fuerit, adest ipsi ex necessitate alterum. cum enim iam aptus natura est Socrates, dicetur necessitate aut cæcus, aut uisu frui. non ita uero in contrariis. quippe non est ex necessitate uel albus uel niger siquidem ipse neuter esse horum potest. quãuis ex natura cõtrario utroq; recipiendo sit habilis {Nec definite horum alterum, sed utrunuis contingat} His rursus per priuationem habitumque inter se aduersa a mediatis contrariis diducit in quibus alterũ præfinite contrariorum susceptiuo adesse est natura idoneum. Nam in priuatione & habitu non adest tunc inquit præfinitæ alterum subiecto cum suapte natura capax est, sed utrũuis euenit. non est enim

E *aut cæcus definite Socrates, aut uiso præditus: sed utcunque accidit. in mediatis uero contrariis in quibus adest alterum per naturam subiecto, unum adesse certum necesse est, nec unquam cõtrarium. adest enim igni calor distincte: albedo & frigiditas niui: cõtrarium nunquam. idq; ob subiecti naturam. cum alioqui intercipiãtur mediis per se calliditas ac frigiditas. Eadem itaq; cum neutro mediatorum contrariorum modo priuationis habitusq; oppositio est {Item in contrarijs si exceptiuum existat, potest utriusq; in alterũ mutatio fieri} Cum diuisis contrariis, eandem nulli ipsorum speciei esse priuationis habitusq; oppositionem particulatim ostenderit, hæc nunc a se mutuo uniuersalt sermone discriminat, sic inquiens, Contraria in seinuicem commeant. nam calidum in frigidũ, & frigidum in calidum: & nigrum in album, & album in nigrum demutatur. quæ autem sunt per priuationem habitumq; opposita non in se mutuo transeunt. tametsi enim in cæcitatem uisus degeneret, nõ redit tamẽ et cæcitas ad uisum. non sunt eadem igitur contraria per priuationem habitumq; obiacentibus. Probe autem dixit, si exceptiuum existat. quippe ob id & contrariorum in se perpetuo mutatio fit. quandoquidem ipsæ per se qualitates sunt immutabiles: in subiecto uero cum sunt, mutationem sustinent. probe etiã*

F *potest dixit. non enim mutuum semper in se faciunt transitum contraria. nam quæ definite cuiquam subiecto natura insunt, hæc nunquam in contraria mutantur. quippe nec ignis caliditas in frigiditatem, nec niuis frigiditas aut candor in calorem uel nigriciem commigrauerit {Potest & uitiosum ex studioso, & studiosum ex uitioso fieri} Quod fieri quidem e studioso uiliosus possit, non ostendit: probat autem ex uitioso studiosum reddi. Porro studiosum hic uocat, non consumatum, quiq; id quod est in scientia præcipuum obtinet. nam is habitum possidet immutabilem: quippe qui uirtutẽ cur honesta quoq; res sit, nedum honestam esse intellẽgat. Non hunc igitur inquit mutari, sed rectæ opinionis hominem. is enim labi in deterius potest falsis persuasus ratiõibus, aut ab hominibus malis deceptuus, cum quamobrem honestum uirtus sit nesciat {Idq; si assidue fiat, prorsus in contrarium habitum restituitur, nisi tempus prohibeat} Verisimile est enim uel interrũpi morbo cõtinuitatem: uel negotiorum curis: uel prauiorum hominum consuetudine. Et uero aliter, siquis in postrema senectute philosophari cepe-*

rit, deinde morte præuentus nõ in absolutum uirtutis habitum tra-

G duci potuerit{Neq; enim cæcus quis reditus uisum recepit} Medica certe ratione uidelicet ac naturali nemo unquam amissam oculorum aciem recuperauit: nisi quoquam modo diuinitus effulserit.

67 *Quæcunque uero tanquam affirmatio & negatio opponuntur, palam est quod nullo prædictorum modo opponuntur. in solis enim his necessarium est semper hoc quidem eorum uerum, illud autē falsum esse, neque enim in contrarijs necessarium est semper alterum uerum esse, alterum autem falsum: neq; in ijs quę ad aliquid sunt: neq; in habitu & priuatione: ut sanitas & languor contraria sunt: & neutrum horum neque uerum, neq; falsum est. similiter autem et duplum & dimidium tanquam ad aliquid opposita sunt: & nō est eorum neutrum neq; uerum neq; falsum. sed neq; ea quæ secundum priuationem & habitum dicuntur, sicut uisio & cæcitas. Omnino autem eorum quæ secū- H dum nullam dicūtur complexionem nihil neq; uerum neq; falsum est. omnia autem quæ dicta sunt, sine complexione dicuntur. Verūtamen maxime tale hoc contingere uidebitur in ijs quæ secundum complexionem contraria dicuntur. sanū nanq; esse Socratem, ac languere Socratem contrarium est. Sed neq; in his necessarium semper alterum uerum esse, & alterum falsum. cum enim Socrates sit, aliud quidem uerū, aliud autem falsum erit: cum uero non sit, ambo falsa sunt. neq; enim languere, neq; sanum esse uerū est: cum ipse nō sit omnino Socrates. In priuatione uero & habitu, cum non sit omnino, neutrum uerū est. cum autem sit, nō semper alterum quidem uerum erit, alterū autem falsum. habere nanq; uisum Socratē ei quod est cæcū esse Socratem opponitur sicut priuatio & habitus. & cū sit, non necessariū est alterum uerū esse uel falsum. I cum enim nondum sit natus habere, utraq; falsa sunt. & cum non sit omnino Socrates, similiter quoque falsa sunt utraque & uisum eum habere, & cæcum eum esse. In affirmatione uero & negatione semper siue sit siue non sit, hoc quidem falsum erit, illud autē uerum. Languere nanque Socratem, & non languere Socratem, cum ipse sit, palam est quod alterum eorum uerū, alterum uero falsum est: & cum nō sit, similiter. Languere etenim, cum non sit, falsum est: non languere autem, uerum. Quare in his solis proprium erit semper alterum eorum uerum, alterum falsum esse, quęcunq; tanquam affirmatio & negatio opponuntur.*

Quæ uero ut affirmatio negatioq; aduersa sunt, ea nullo oppositorum modo obstare compertum est} Quæ ad aliquid spectāt ab oppositis per priuationem & habitum ac contrariis disiunxit & hæc ab his quæ per priuationem & habitum repugnant. Tres igitur fiunt coniugationes. ergo & tres aliæ reliquæ sunt, secundum eam methodum quam in introductione tradidimus. erat autē K id genus methodus. Multiplicanda proposita est multitudo ad minorem uno numerum: dimidiumq; collecti numeri insumendum: ac tot coniugationes esse pronunciandum est. Sunt res quatuor nobis uerbi gratia propositæ. has usq; ad unitate minorem, hoc est tria, pluries complicamus. fiuntq; quater tria duodecim. sex horum dimidium. tot ergo sunt coniugationes. Quapropter tribus nobis ut dictum est traditis, tres restant reliquæ: quas nunc communi oratione docet, nam quæ per affirmationem negationemque opponūtur nunc communi sermone a cæteris tribus discernit{Nam in solis his partem eorum alteram ueram esse, alteram falsam perpetuo est necesse} Si enim dicam Socrates sedet, Socrates non sedet: horum alterum uerum est, alterum falsum. aliorum trium nec ueritatem nec falsitatem ullum significat. nam si pater, uel album, uel nigrum, uel uisum, uel cæcitatem sexcenties dixero, nullam nec ueritatem nec falsitatem indicaui. quippe si ipsa per se sine uerbis proferantur nomina, nec ueritatem ullam nec falsitatem declarant. sin uerbis coniungantur. tunc uel ueritatis significatiua sunt uel falsitatis. Quin & ipsa si per se dicantur uerba, nec ueritatem nec falsitatem indicant. q; si applicentur pronominibus, ueritatem aut fal- L sitatem ostēdunt, ut ego ambulo. Euimuero & pronomen a uerbo ipso ambulo potestate cōtinetur. etenim personam declarat. Id cōprobant ita esse infinitiua: quippe quæ nō ueritatem declarent falsitatemue, cū personas non indicent ut ambulare, uel currere. nudum enim ipsum est per se uerbū: nec facultate pronomen cōplectitur: ut ambulo. Ergo si per affirmationē ac negationē dicta ueritatis sunt uel falsitatis indicatiua, triun autē cæterorum ne unū quidem ueritatem aut mendacium designat, eadem nulli horū oppositio per affirmationē negationemq; est{Neq; enim semper in cōtrarijs alterū uerū esse alterū falsum neq; in relatiuis, neq; in habitu priuationeq; necesse est} Aduerbiū semper ea propter adiecit, quoniam hæc aliquando subiectis complexa, capacia ueritatis aut falsitatis fiunt: ut bene ualet Socrates, non bene ualet Socrates{Deniq; eorum quæ nullo in complexu dicuntur neq; uerum neque falsum est nullum} Quæ per nullam dicuntur complexionem, eorum nullum aut uerum aut falsum indicat. nam relatiua, & contraria, & per habitum priuationemq; occursantia absq; ullo dicuntur complexu nihil hæc igitur ueri aut falsi declarant. quare nec eadem sunt per affirmationem atq; negationem dictis{Verum enimuero id in illis euenire contrarijs quæ per complexum dicuntur uideri possit ma- M xime} Quam quis obiicere ipsi difficultatem potuisset, hanc assumens ipse proponit, ac soluit. Contraria enim inquit quæ cum subiecti dicuntur complexu uerum falsumq; diuidunt. nam sanus est Socrates uel ægrotat, partim uerum, partim falsum est. sed & uisum habere uel cæcum esse, uel patrem aut filium, hæc quoq; uerum aut falsum ostendunt. Ad hoc igitur etsi hæc inquit uerum a falso diuidere per complexum uideantur, multo tamen uel hoc pacto ab affirmatione ac negatione differunt. affirmatio enim semper & negatio in entibus omnibus & non entibus uerum falsumq; diuidunt. nam cæcum esse Socratem uel cæcum non esse, uel album esse, uel non esse album, uel patrem esse, uel patrem non esse, siue sit ipse, alterum uerum semper ex necessitate est, alterum falsum, siue nō sit. semper uerum est alterum. nam qui ne est quidem omnino, is neq; pater, neque cæcus, neque albus est. Et qui albam esse animam dicit aut albam non esse, & habere uisum aut uisum non habere & esse dextram aut dextram non esse, is parte altera uerus erit, altera mentietur. at non sic habēt contraria. sed si quidem sit Socrates, uerum esse alterum necesse est, alterum falsum, nam aut sani illum

A illum sanitate oportet, aut morbo torqueri. sin non sit, ambo sunt falsa. nam qui prorsus nō est, quo queat pacto aut sanus agere, aut ægrotare? In priuatione autē & habitu, tum si sit, non semper contrariorū uerum alterū est, sed ambo interim falsa: tum nisi sit, falsum semper est utrunq; siquidē edentulum esse Socratē, aut habere dentes, superstite eo uerū non est perpetuo alterū, sed cum falsa sunt ambo: nō existente, ambo nunquā non falsa. nam qui ne est quidem omnino, quō aut esse edentulus poterit, aut dentatus? Perinde & in catulo utrunq; & habitus & priuatio, siue sit ille, siue non sit, nempe & uisum habere falsum est, et cæcum esse. Similis quoq; in relatiuis ratio est. nam & esse dextrū sinistrum ue, tum existente, non semper uerum alterum est, sed ambo falsa interim, si solus quispiam sit: tum falsa ambo rursus, non existente. similiter patrem quoq; aut filiū esse, & nisi sit, falsa sunt ambo. & si sit, ambo falsa quandoq;. etenim si nec patrē quis nec filiū habeat, cuius nam pater uocari aut filius poterit? nisi quis per memoriam: alioqui re uera dici potest nullius. Quamobrē opposita per negationem affirmationemq; ab alijs, uel hoc pacto nō parum differunt. Nam hæc si semper tum in entibus, tum in non entibus uerum falsumq; diui- B dunt, cætera uero in entibus nō semper, in nō entibus nunquam, nō idem ergo cū cæteris affirmatio est ac negatio. Quin & aliter dixeris. nempe q; ueritatem interdum, uel falsitatem prorsus admittant, nō ipsis aliunde euenire quam ex eo q; in affirmationes euasērint, quandoquidem ipsa per se harū neutrius capacia sunt. nam ualet Socrates, aut cæcus est, aut pater, aut id genus quidquam, affirmatio est. Quare & q; uerum aliquando, uel falsum prorsus diuidant, id sibi propter affirmationem uendicarunt. Cæterum sciendum in his rursus quæ per priuationem & habitū, quæq; relatiue opponuntur, mediū inter contraria & affirmationē negationemq; locū obtinere. Nam cum uerum falsumq; affirmatio ac negatio in entibus omnibus ac non entibus perpetuo diuidant.

* * *

68 *Cōtrarium autem bono quidem ex necessitate malum est. hoc autem per singulorum inductionem palam est: ut sanitati languor: & iustitiæ iniustitia: & fortitudini timiditas: similiter autem & in alijs. Malo autem aliquando quidem bonū est contrariū, aliquan- C do malum. defectui enim cū malum sit, superabundantia contraria est, cum sit etiam ipsa malum. similiter autem & mediocritas, cum utrique contraria sit, bonum est. Sed in paucis quis tale hoc aspiciet: in pluribus uero semper malo bonum contrarium est.*

Contrariū autem bono ex necessitate est malū, id quod ex singulariū inductione patet} Absoluta oppositorū disputatione, quædam nunc nobis præcepta contrariorū tradit: quorum primū est, Bono quidem malū omnino esse oppositum: malo autem bonū non prorsus: sed quandoq; & malū: ut iustitiæ, q; est bonū, iniustitia, quod malū est, aduersatur, & modestiæ petulantia. pluris tamen uendicationi, q; malū est, nō iustitia undequaq;, sed minoris quoq; uendicatio obijcitur, ut excessui defectus. Quid ergo? iniusta est adeo natura, ut uni duo statuat pugnantia? unū enim ubiq; uni oppositum cernimus: ut aquæ ignem. graui leue: humidum sicco. Malo igitur bonum ut immoderationi moderationem oppositum dicimus: malo autem malum non item ut immoderationem moderationi repugnare (siquidem immoderationes ambo sunt) sed ut excessioni defectum. Nam cum uirtus in moderatione consideretur, D uitium utrinq; unum, alterum per excessum, alterum per defectum spectatur. Iustitiæ uerbi gratia, quam in moderatione contemplamur, excessus est, maioris uendicatio: defectus, minoris possessio: quarū immoderatio est utraq;. obstant enim ut immoderationi moderatio. Rursus modestiæ excessus procacitas: defectus stoliditas. fortitudinis quoq; timiditas & audacia. prudentiæ calliditas atq; amentia. Vtraq; igitur declinatio uirtuti ut bono malū, & immoderatio moderationi obijcitur. inter se uero nō ita, sed ut defectus excessui. quare non duo uni, sed unum uni oppositum est.

69 *Amplius. Contrariorum non necessariū est si alterum sit, & reliquum esse. Sanis nanq; omnibus, sanitas quidem erit, languor uero non, similiter aūt albis omnibus, albedo quidem erit nigredo uero non.*

In contrarijs item non necesse est, si sit alterum, & reliquum esse} Secundum est hoc contrariorum præceptum. Vnum enim si sit contrariorum inquit, non necesse est esse & alterum quippe si omnes homines sanos esse supposuerimus, erit ex necessitate sanitas, morbus non erit. similis ratio quoq; in morbo est, & albedine, & nigricia, & cæteris id genus. Porro hæc Aristoteles, ipsas E per se res quæ contrarietatem admittunt, non etiam ut contraria scrutando pronunciat. album enim ut res uel absq; nigro esse potest. ut uero huic contrariū, per se intelligi non etiam potest. quandoquidē sunt ad aliquid contraria, ipsumq; esse in alterius adnexu habent. contrarium nanque contrario contrarium est.

70 *Amplius. Si ei quod Socratem sanum esse, Socratem languere contrariū est, non cōtingit autem simul utraq; eidem inesse, non utiq; continget cum alterum contrariorū sit, & reliquum esse, cum enim sit Socratem sanum esse, languere Socratem non erit.*

Item si sanum Socratem esse & ægrotare Socratem sunt contraria, eidem uero simul inesse nequeunt ambo, non utiq;, existente contrariorū altero, esse & reliquum licet} Sciendū porro dictum hoc uel ad superioris fuisse approbationem, uel quoniam alia esse in contrarijs simplicia dicebamus, alia per subiectorū complexum intelligi. Cum itaq; per superiora posse contrariorū existente uno alterum non esse in simplicibus cōmonstrauerit, nunc in ijs quoque quæ per complexum considerantur idem fieri posse ostendit. nam F si ægrotans Socrates sano contrarius Socrati est, minime uero possunt in eodem esse contraria, contrariorum uno existente, non esse alterum omnino est necesse quippe si sanus sit Socrates, ægrotare eodem tempore ipse haudquaquam potest.

71 *Palam uero est quod circa idem aut specie, aut genere nata sunt fieri contraria. Languor nanque & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri. albedo autem & nigredo, simpliciter in corpore. Iustitia uero & iniustitia in anima hominis.*

Constat quoque apta nata esse contraria, ut circa idem uel specie uel genere fiant} Tertium hoc theorema de contrarijs dicit. quod est, uel circa unum atque idem genus fieri, uel circa unam eandemq; speciem nata esse contraria: ut albedo & nigritia. nam circa unum & idem genere uersantur, lapide inquam, & equo, & homine, ac denique in animato corpore, atq; inanimi, quæ sunt eadem genere. horum nanque genus est corpus simpliciter. Sanitas uero & morbus circa unum idemque specie habetur, ut in homine, & equo, atq; animali absolute omni, quæ specie sunt eadem.

G quippe animalis corpus ſpecies eſt ſimpliciter corporis. Iuſtitia ſimiliter & iniuſtitia in hominis anima prouenire natura ſolent. hæc uero ipſius ſimpliciter animæ ſiue incorporeæ ſpecies eſt. Quamobrem uero cũ idem uel ſpecie, uel genere dixerit, non adiecit uel numero? nam idem, ut ſupra docuimus, uel genere, uel ſpecie, uel numero eſt idem. quo modo & diuerſum: genere, ut homo & equus: ſpecie, ut Socrates & Plato: numero, ut enſis, gladius, mucro, machæra, & ſimilia. Aut ergo ut cõfeſſum, id ſuperhabitum ab eo dicimus, perinde quaſi ſub audiri nobis poſſet: aut quoniam etſi circa idem numero diuerſentur contraria, non in parte eadem tamen. nam albus parte alia Socrates eſt, alia niger, ut capillo. calidus item alia, & alia frigidus. quippe fieri nequit, ut in eadem ſimul parte exiſtant contraria.

72 Neceſſarium autem eſt omnia contraria, uel in eodem genere eſſe, uel in contrarijs generibus, uel ipſa genera eſſe. Album enim & nigrum in eodem genere ſunt. Color enim eorum genus eſt. Iuſtitia uero & iniuſtitia, in contrarijs generibus. illius nanque uirtus genus eſt: huius autem uitium. Bonum uero & malum non in genere ſunt, ſed ipſa ſunt genera aliquorum exiſtentia.

H Omnia uero cõtraria, aut in eodem ſint genere neceſſe eſt, aut in contrarijs generibus, aut ipſa ſint genera} Quartũ eſt hoc contrariorũ theorema, nempe aut ſub uno eodẽq; genere eſſe contraria, ut album & nigrum. Sunt enim ſub colore. aut ſub contrarijs generibus, ut iuſtitia, & iniuſtitia. nam illa ſub uirtute, hæc ſub uitio reponitur, contraria autem uirtus eſt uitio. aut ipſa eſſe genera, ut bonum ac malum. hæc enim ſub genere alio nõ continentur, ſed genera duntaxat ſunt. Quid ergo? duo alia decem illis addenda prædicamenta boni & mali, ut non decem amplius prædicamenta, ſed duodecim numerentur? Hæc igitur uocata dicimus genera non eadem cũ alijs prædicamentis ſignificatione, q̃ per ſe hæc inquam, quo pacto & prædicamenta, ſubſiſtant, ſed quemadmodũ & Plato quinq; illa, genera entium dixit, ens inquam, identitatem diuerſitatem, motum, ac ſtatum, propterea quod in ijs quæ ſunt omnibus uiſitentur, nõ autem q̃ hæc per ſe ipſa ſubſiſtant. Sic ergo & bonum malumq; eſſe genera dixit hoc loco Ariſtoteles, nõ quod ipſa per ſe, ſed quoad in prædicamẽtis omnibus cõſpectentur.

I eſt enim in ſubſtantia bonum quodpiam ac malũ, & in quanto, & in quali: prædicamentiſq; reliquis. Bonum nanq; in ſubſtantia, eſt eius perfectio, abſolutamq; habere numeris omnibus naturæ rationem, neq; in ratione redundare, aut deficere in quanto, commoda cuiq; rei quantitas. in quali color unicuiq; cõmodus. ſimiliter & in alijs. At exactius rem æſtimantibus ne contraria quidem bonũ & malũ, ſed per priuationem habitumq; oppoſita uidebuntur. Cõtrariorum enim utrunq; forma præditum ſit oportet, ac finitam habeat naturam, ut album & nigrum. malũ autem certam quæ ſubſiſtat naturam nõ habet. ſiquidem ametria, hoc eſt (ut ſic dixerim) immenſitas quædam eſt. at immenſitas quomodo formam obtinere præfinitam poteſt? Ea de re fit ut nec ſub definitionem cadat uitiũ. ſed quemadmodũ habitus abſentia uenit priuatio, naturam quampiam ipſa certam non habens, ſic uitium quoq;, uel per exceſſum, uel per defectum ſuperest, uirtutis abſentia. nam illa cum in mediocritate ſpectetur declinatio a mediocri per exceſſum, uel defectũ, uitium fecit. Neq; uero id nos prætereat, cõtraria quamuis ſub cõtrarijs generibus eſſe prodiderit, non de genere tamen eorũ generaliſsimo, ſed proximo dixiſſe & ſubalterno. nanque agere ſub K eodem genere cõtraria neceſſe eſt. Quamuis enim ſub uitio ſit iniuſtitia, ſub uirtute iuſtitia habeatur, tamen ea quoque ſub communi quodam uno genere, habitu inquam ac diſpoſitione comprehenduntur. Id autem ad qualitatem refertur, quæ genus eſt omnium contrariorum generaliſsimum. Iureque ſub uno genere degunt contraria. quippe mutuum eorum bellum intelligens natura, ſuperne illa atque inferne connectenda curauit ſuperne nimirum, communi genere, inferne, ſubiecto communi.

DE PRIORE.

PRIVS autem alterum altero dicitur 73
quadrupliciter. Primo quidem & maxime proprie ſecundum tempus, ſecundum quod antiquius alterum altero, & uetuſtius dicitur. In eo enim quod tempus amplius eſt, & antiquius et uetuſtius dicitur. Secundo autem quod non conuertitur ſecundum ſubſiſtendi cõſequentiam: ut unum duobus prius eſt. duobus enim exiſtentibus, L mox unum eſſe conſequens eſt. uno uero exiſtente, duo eſſe nõ neceſſariũ eſt. quare nõ conuertitur ab uno conſequentia, ut reliquum ſit. prius autem illud eſſe uidetur a quo non conuertitur eius quod eſt eſſe conſequentia. Tertio uero ſecundũ ordinem quendam prius dicitur: quemadmodũ & in ſciẽtijs, & in orationibus, nam in demonſtratiuis ſciẽtijs eſt prius et poſterius ordine. elemẽta, n. in geometria priora ſunt ordine ijs quę deſcribuntur, ſed & in grammatica, elemẽta ſyllabis priora ſunt. & in orationibus ſimiliter proœmium narratione prius ordine eſt. Amplius præter ea quæ dicta ſunt, quod melius & honorabilius eſt, prius natura eſſe uidetur. conſueuerunt autem & multi honorabiliores & magis dilectos a ſe priores apud ſe dicere. Eſt quidem & pene alienisſimus priorum hic modus. Modi igitur qui dicti ſunt de priore, fere tot ſunt. Videtur autem præter eos qui dicti ſunt alter eſſe prioris modus. M Eorum enim quæ conuertuntur ſecundum eſſe conſequentiã, quod alteri quomodolibet cauſa eſt, conuenienter prius natura dici poſſit. quod uero quędam ſunt huiuſmodi, palam eſt. eſſe nanq; hominẽ, ſecundum eſſe conſequentiam ad ueram de ſe conuertitur orationẽ. Nam ſi homo eſt, uera eſt oratio qua dicimus quod homo eſt: & conuertitur. Nam ſi uera eſt oratio qua dicimus quod homo eſt, eſt homo. Eſt autẽ uera oratio nequaquam cauſa ut ſit res. ueruntamen res quodammodo cauſa uidetur ut ſit uera oratio. eo enim quod res eſt aut non eſt, uera oratio aut falſa dicitur. quare ſecundum quinque modos prius alterum altero dici poteſt.

Prius aliud alio dicitur modis quatuor} Prioris meminit in relatiuorũ diſputatione, ubi ſcibile ſciẽtia, et ſenſibile ſenſu prius eſſe affirmabat.

A affirmabat. eam ob rem itaq; diuerſa hic eius ſignificata enumerat, & quatuor numero eſſe ait. Ac primũ quidem tẽpore prius, ſecundũ natura, tertium ordinẽ, quartum dignitate {Nam primũ quidem ac maxime proprie, tẽpore: quatenus antiquis aliud alio ac uetuſtius dicitur. Quod. n. plus interceſſerit tẽporis, & antiquius & uetuſtius nominatur} Primũ quidem ac maxime proprie inquit prius dicitur quod tẽpore antiquius & uetuſtius eſt. tẽpore enim Socratem eſſe dicimus Ariſtotele priorem. Primũ autem & maxime proprie hoc prioris ſignificatũ dicit, quoniã quod antiquius eſt tẽpore, id conſuetudo quoq; prius maxime appellare ſolita eſt. Sciendũ porro uetuſtius, id eſt to palæoteron, tum in animatis, tum in inanimis: antiquius autem ſeu magis, ut ita dixerim, ſenius, hoc eſt to presbyteron, in ſolis animatis dici conſueuiſſe {Secundũ eſt quod per exiſtẽdi conſequentiã non reciprocat: ut unum duobus prius} Secundũ eſt hoc ſignificatũ prioris, quod per exiſtendi cõſequentiã non reciprocat, hoc eſt in quo exiſtẽdi nõ reflectitur cõſequẽtia: nẽpe q̃ ſimul infertur quidẽ, ſed ſecum nõ infert: ut ſi ſint duo, erit ex neceſſitate unum, nam ſimul unũ infertur. at unũ ſi ſit, non ex neceſſitate duo erunt. non enim ſimul cũ uno inferuntur. quare prius eſt unũ duobus. Rurſus exiſtente homine, erit B animal neceſſario. nam ſimul animal cum homine infertur. at ſi ſit animal, non prorſus erit homo. ſiquidem non ſimul homo cũ infertur: cũ animalia quæ homines nõ ſunt cõplura exiſtant. prius igitur quam homo eſt animal natura, non tẽpore {Tertio loco, ſecundum ordinẽ quendam prius, quemadmodũ in ſcientijs atq; orationibus, dicitur} Tertiũ hoc eſt ſignificatũ prioris, nempe prius ordine. quemadmodũ habet ſe inquit res in ſciẽtijs. Nam præcedunt & in demonſtratiua ſcientia propoſitiones, cõcluſiones cõſequuntur. & in Geometria priora ſunt inquit deſcriptionibus elemẽta. Vocant autem Geometræ elemẽta, punctũ, lineam, ſuperficiem, & ſimilia, quæcunq; theorematũ demonſtrationem antecedere cõſueuerunt. Deſcriptiones uero, quas diagrãmata græci nominant, ipſa theorem. ata. Et uero in literis priores ſunt ſyllabæ dictionibus: elementa ſyllabis. Idem & in orationibus dicemus. nam præcedunt exordia: præconſtitutio ſequitur: dein cõſtitutio: proximæ ſunt his narrationes: mox certamina. hæc autem ut priora ſint omnia ſolo obtinent ordine: neq; uero natura, neq; tempore. Poteſt nanq; & artis expers orator primũ uti certaminibus: deinde exordijs, & tunc narratione. Et Geometra ſpeculamẽ prius exponere: de hinc elemẽta. quapropter hæc ordine duntaxat, prioris obtinent rationem. De alijs igitur prius ordine ſolo fortaſsis dici conceſſerit: uerum in literis nõ ordine etiã ſolo eſſe uidentur ſyllabis elemẽta, uel nominibus, uel orationibus priora. Neq; enim licet ordine obuerſo primũ nomina diſcere, deinde ſyllabas, poſtremo elementa. ſiquidem nota reliqua eſſe nõ cognitis elemẽtis nullo modo poſſunt: pereuntq; ſimul reliqua ſublatis elemẽtis. at manere poſſunt elemẽta, uel ſi reliqua illa tollantur. Quo fit ut ſint elementa ijs priora quæ ex ipſis conſtant elemẽtis non ſolũ ordine, ſed etiam natura nõ recte igitur in grammatica ſolo ordine elemẽta prima eſſe dicit. niſi forte ad illud reſpexit, q̃, & orationes nectere, & proferre nomina, elementorũ autẽ uim ignorare queant literarũ rudes. ſed quanquã uidelicet ex uſu loquantur, ac ſignificata uocũ teneant, ipſam tamen quæ eſt in uoce uim neſciant orationis: cũ ex quibus conſtet nequaquã intelligant {Itẽ præter ea quæ diximus, quod melius honorabiliuſq; eſt id natura eſſe prius uidetur} Quartus eſt hic prioris modus, honorabilius inquã: quod cõſuetudo prius nominat. eſt autem hoc inter prioris ſignificata prorſus alienũ. quamobrẽ & C id ipſe reprobat. quintũ autem quendã modum huius loco deinceps affert, ut quatuor prioris ſignificata expleat. Iccirco cum diuerſa D quoq; ſimul aduerbij ſignificata enumerando, unũ huius modũ prioris ſingulis opponat, huic ſoli nullũ obiecit, a prioris ipſum ſignificatis prorſus exterminans {Videri aũt quis poſſit præter enumeratos alius eſſe prioris modus} Quintum hunc addit. nam quartus ut diximus a prioris ſignificatis erat alienus: quoniã a noſtra electione, non a rerũ natura proficiſcebatur. Quintũ autem eſt ſecundo contrariũ. nam cum illud ſecundũ ipſius eſſe conſequentiam non reciprocet, neq; ſit alterũ alteri cauſa, hoc & reflectitur, & alterum alteri cauſa eſt, ut pater et filius: quippe hæc inter ſe cõmeant in exiſtẽdi conſequẽtia. ſiquidẽ utrouis poſito, omnino alterũ ſequitur: eſt tamẽ reliquo alterum cauſa, filio inquã pater. Ratio in re quoq; ſimilis eſt & uera de reipſa oratione. nã & horum in exiſtendi cõſequentia reciprocantiũ alterum alteri cauſa eſt, ut Philoſophus eſt Socrates: et oratio de eo quædã eſt quæ ipſum eſſe philoſophũ dicit. utrum ergo ex his fuerit poſitũ, alterũ quoq; ex neceſſitate cõſequitur. Si. n. uera eſt oratio quæ philoſophũ eſſe pronunciat, Socratẽ neceſſe eſt eſſe philoſophũ. & ſi ſit Socrates philoſophus, uera ex neceſſitate oratio erit quæ illũ eſſe philoſophum perhibet. Verũ hæc tametſi mutuo cõuertuntur, res tamen orationi quo uera ſit cãm præſtat. nã niſi res ſit, uera eſſe de reipſa non E poteſt oratio. Poteſt igitur modis quinque aliud alio prius dici. Cæterũ de eo quod prius eſt ſermone habito, nõ de poſteriore etiã meminit. ſiquidẽ cum de priore ageretur, præceptio quoq; poſterioris enituit. hæc. n. ſimul bũtur, ſunt q; ad aliquid. proinde & uno cognito, alterũ quoq; eſt notum. nam prius poſteriore prius dicitur, & poſterius priore poſterius. Quare quot modis uocatur prius, totidẽ & poſterius nuncupabitur. ſiquidẽ quocunq; alterum modo ſeſe habeat relatiuorum, eodem habet & reliquum.

DE SIMVL ADVERBIO.

SIMVL aũt dicuntur ſimpliciter quidem et propriſsime quorũ generatio in 74
eodẽ eſt tpe. neutrũ. n. eorũ neq; prius, neq; poſterius eſt. ſimul aũt ſecundũ tps hæc dicuntur. Natura uero ſimul ſunt quæcũq; cõuertuntur quidẽ ſecundũ eius quod eſt eſſe cõſequẽtiã, ſed nequaquã alterũ alteri cauſa eſt, ut ſit, ut in duplo & dimidio. cõuertuntur etenim hæc. nam cũ duplũ ſit, di F midiũ eſt: & cũ dimidiũ ſit: duplũ eſt, ſed neutrũ alteri cauſa eſt ut ſit. Dicũtur aũt ſimul natura & quę ex eodẽ genere e diuerſo abinuicẽ diuiduntur. e diuerſo aũt diuidi abinuicẽ dicuntur quæ ſecundũ eandẽ ſunt diuiſionẽ: ut uolatile greſsibili, & aquatili. hæc. n. abinuicem e diuerſo diuiduntur: cũ ſint ex eodẽ genere. Animal nanq; diuiditur in hęc, in uolatile, greſsibile, & aquatile. & nihil horũ prius, uel poſterius eſt, ſed ſimul hæc natura eſſe uidẽtur. Diuiditur aũt & unũquodq; horum in ſpecies rurſus: ut uolatile, greſsibile, & aquatile. Erunt ergo & illa ſimul natura quæcũq; ex eodẽ genere ſecundũ eandẽ ſunt diuiſionẽ. Genera uero ſpeciebus ſemper priora ſunt. neq;. n. cõuertũtur ſecundũ eius quod eſt eſſe cõſequẽtiã: ut cũ quidẽ aquatile ſit, aĩal eſt: cũ uero ſit aĩal, nõ neceſſe eſt ut aquae

G tile sit. Simul ergo natura dicũtur quæcunq; quidem conuertuntur secundũ eius quod est esse cõsequẽtiam, sed nequaquã alterũ alteri ut sit causa est:et ea quæ ex eodẽ genere e diuerso diuiduntur abinuicẽ. Simpliciter aũt simul sunt, quorũ generatio in eodẽ est tẽpore.

Simul simpliciter quidẽ & maxime proprie dicuntur ea quorũ generatio in eodẽ est tẽpore} Meminit et uerbi simul in relatiuorũ disputatione, ubi dicebat, uidẽtur aũt quæ sunt ad aliquid simul esse natura. quapropter merito de eo nũc sermonẽ instituit. Quoniã uero simul aduerbiũ est priori oppositũ, triplicẽ eius aduerbij differẽtiã tradit, ac primũ quidẽ modũ primo prioris modo opponit: secundũ secũdo & quinto. tertiũ tertio: quarto aũt nullũ aduersum statuit modũ. etenim hũc esse ante iam diximus ex prioris signãtis alienissimũ. Primũ igitur simul aduerbij modũ, quẽ maxime quoq; propriũ dicit, eũ esse pronunciat qui ad tẽpus pertinet: uerbi causa si duo quidã aut plures eodẽ in tpe generationẽ obtinerẽt. Hũc aũt iure maxime propriũ affirmat: siquidẽ fert etiã uerbũ simul cõsuetudo in his maxime. nẽpe ijs quæ eodẽ tpe existunt. Cæterũ primo

H prioris uti docuimus signãto est aduersus hic modus: quod ipsum quoq; prius eẽ maxime ac præcipue dicebatur, id inq̃ quod penes tẽpus intelligitur: ut Socrates & Alcibiades. est. n. Socrates prior tpe. Ergo si quod tpe ipso prius est, id prius dici magis ac potissimũ ualet, obstat aũt uerbũ simul priori, poterit & quod simul est tpe peculiarius nuncupari. sunt aũt simul ea quæ neq; priora, neq; posteriora habẽtur {Simul aũt natura sunt ea quæ secundũ ipsius quidẽ esse reciprocant consequentiã} Secũdus est hic simul aduerbij modus, qui secundo & quinto prtori signãto repugnat secundo quidẽ, quoniã prius id esse illic dicebamus q, in existẽdi cõsequẽtia nõ reflectitur, ut unũ & duo. neq;. n. ut unũ duobus, sic & duo uni sunt cõsequẽtia. hic uero simul id esse pronũciat quod in ipsius esse cõuertitur sequela, ut duplũ & dimidiũ. Vt. n. duplo existẽte cõsequẽs est esse dimidiũ, ita si dimidiũ sit, duplũ esse ex necessitate cõsequitur. Quinto aũt est oppositũ. quoniã prius quidẽ illud esse pro debatur quod in ipsius quidẽ esse obãbulabat cõsequẽtia, cã tũ alteri ut eẽ: reliquũ erat: uelut in patre ac filio dicebatur. hæc. n. quanquã in existẽdi reciprocãtur sequela (nã utrouis posito alterũ quoque subsequitur) causa tũ ut sit est filio pater. iccirco & prior esse ferebatur. hic uero simul dicũtur quæ in existẽdi cõmeant cõsequentia, nullo aũt pacto alterũ alteri est cã, duplũ inquam ad dimidiũ. hæc. n. tum reflectũtur. nanq; uno posito infertur et alterũ necessario. tum neutrũ ut sit causa est alteri. Porro uerbis illis, Nullo aũt pacto alterũ alteri est causa, aduerbiũ duntaxat addendũ. quoniã pater ac filius, & duplũ ac dimidiũ difficultatẽ in re pariũt. est. n. causa duplũ dimidio, quanquã nõ ita solũ. etenim causãtũ quoq; est, a dimidio cãm obtinẽs. similiter filio quoq; cũ causa sit pater, cãm obtinet filiũ. adiectũ itaq; sit aduerbiũ duntaxat cõuenit. quippe et causa proprie est ea quæ cã est duntaxat, sed nõ eius quoq; causa tum cuius est causa {Et quæ ex eodẽ genere a se mutuo disiuncta in aduersum sunt simul dicuntur natura} Hic tertius simul existẽdi modus est, qui tertio signãto prioris repugnat, ordine inquã priori. qualia sunt in syllabis elemẽta, syllabæ in dictionibus, in orationibus procemia. Hic uero simul ea sunt quæ eundẽ ex priore ordinem possidẽt, qualia genera sunt ex diuisione eadẽ sumpta: ut corpus & incorporeũ. distant. n. æqualiter hæc & a substãtia, & species specialissimis, hoĩe inquã & equo, angelo & anima. Simul quoq; animatũ & inanime rõne eadẽ dicuntur: siquidẽ hæc pari, tum corpore simplr dicto, tũ ab animali, interuallo recedunt. Terrestre quoq; & uolucre & aquatile atq; id genus oĩa simul dicuntur. eorũ. n. nullũ alterũ altero est prius. nam et a supremo genere parẽ distantiã eandẽq; obtinent. similiter et a specie specialissima. Quod siquis forsitã uolucre in anes & locustas diuiserit. nõ etiam auis & uolucre simul dicũtur. sed prius uolucre, quoniã ex animalis diuisione acceptũ est: auis aũt ex uolucris sectione prodyt. Sũt uero priora semper speciebus genera: quoniã in nulla existẽdi reciprocant cõsecutione. nam specie posita sequitur genus necessario: at positis generibus species non necesse est consequantur.

K

DE MOTV.

MOTVS aũt species sunt sex, generatio, corruptio, augmentũ, diminutio, alteratio, & secundum locum mutatio. 75

Sex motus sunt species. Generatio, corruptio, auctio, decretio, alteratio, ac loci mutatio} Non est sub prædicamentis motus, q, in ipsis uisitetur. in substãtia. n. generatio corruptioq; spectatur. sed nec substãtia gñatio & corruptio, neq; auctio & decretio quantum. nec alteratio qualitas, nec localis motus ubi dicitur, sed neq; ad aliquid. quoniã nec ipsum esse obtinet in eo motus q, sese quodã pacto ad aliquid hẽat, Ne uero illud nos prætereat, disputationẽ de motu uiro esse naturæ rõnes perscrutanti cõsentaneã siquidẽ habent ipsum eẽ res naturæ oẽs in motu. est. n. & natura, ut finiuit ipse, motus principiũ et quietis. quapropter & in naturali auscultatione sermonẽ de eo producit longius, atq; exactius disserit. Cæterũ quærẽdũ est cuius rei gratia hoc loco motiõis meminerit. Quidam ergo q, prædicamẽta facere et pati motiões essent, de quibus est nihil locutus, eapp hic ab eo sermonẽ de motu institutũ affirmarunt. quodãmodo. n. motus inquit genus est. species eius, tũ alia plura, tũ facere et patì. sic igitur de his nõnulli definiuere. Sed non admittẽda id genus rõ est. non. n. propositũ Philosopho est plus quid de prædicamentis facere & pati q̃ a principio dixerit, pfari. Præterea, ut inter initia quoq; dicebamus, mouere ad facere prædicamentũ refertur: moueri ad pati, ipse uero motus non itẽ. non est. n. motus facere. Motus quoq; nõ prædicamenta, sed uias in prædicamẽta esse docebamus. Quã ergo nos sniam ferimus? nẽpe ut in præsumptis uocibus præceptionem fecit, quoniã earum cũ de prædicamentis præciperet meminisset. ita nobis sane et de motu dictum iri. Habuit. n. in sermone de substantia mentionẽ de motu, cum pprium asignauisset substantiæ, unum idẽq; numero capax uicissim cõtrariorũ esse. dubitationẽq; ad hoc, ptulisset non esse, hoc, ppriũ forsan substantiæ, qñquidem non soli ipsi, sed oõni quoq; & opinioni cõpetat. nam & hæc unũ idemq; numero manẽtia, contrariorũ sunt alternis capacia, ueritatis inq̃ ac falsitatis, dubitationẽ soluens intulit, non eodẽ hæc modo capacia cõtrariorũ cum substantia esse. fit. n. capax contrariorũ substantia, motum patiens ipsa. illa uero, non ipsa motu agitata, sed alijs motum sustinentibus ueritatem falsitatemq; accipiunt. Proinde igitur quoniam meminit motionis, ne cesse de ea esse nos docere arbitratus est. Decet itaq; physicum uirum ut iam ante dixi sermo de motu. quamobrẽ quatuor et ipse posteriores ex octo physicæ auscultationis libris in disputationẽ de motu consumpsit. hic uero tantũ de eo disputat quãtum logico uiro scrutari conuenit, in quot species diuidatur motus: et quæ sint: et quæ quas consequãtur, uel non cõsequantur {Sex motus sunt species: generatio, corruptio, auctio, decretio, alteratio, ac loci mutatio} Cur in sex partes motus discerpitur? quoniã motus alienatio q̃dã ac demutatio est. Deturbatur aũt uel a sua ipsius quidã substantia, et generationẽ ac corruptionem facit. uel ab ijs quæ in ipsa sunt

M

Hinc patet Ammonij sententiam esse quintũ physicæ auscultationis haud esse de principijs sed de motu pro hoc aũt uos uidebitis nostrã cõtẽ-

pla= tionẽ aduersum scholam patauinam. A substantia penes quantitatẽ, facitq; augmentum ac decrementum. uel penes qualitatẽ, et fit alteratio aut ab ijs q̃ circa seipsum sunt, & mutatio loci cõficitur. Quæri aũt hæc tria in disputatione de motu sciendũ est, quot species sint motionis, quibus mutuo discernãtur, et ad hæc tertiũ, quali speciei motus qualis sit opposita. Quot igitur species sint motionis iã ipse enumerauit, sex esse pnuncians: Verum quo nos sciãria quoq; rõne intelligamus cur species motus sex, nec plures sint. nec pauciores, rõnem in mediũ ex diuisione afferamus, Tria igitur esse dicimus quæ circa naturã nostrã spectantur: ipsa substantia, quæ in substantia habentur, quæ sunt circa substantiã. Sunt ergo in ipsa, si magnas partes diuidas quantũ et quale. magnas, pptterea diximus, quoniã etsi prædicamenta alia sint in substantia, hñt tñ ex his generationẽ, ut ante pdidimus. circa substantiã uero sunt locus & tẽpus. Hæc tria cũ sint, gñatio & corruptio est substãtiæ motus, qualitatis alteratio, ĩcremẽtũ ac decrementũ quãtitatis: ubi uero prædicamẽti, localis mutatio, quæ latio noĩatur. Porro latio quædã recta appellatur, quæ sursum uidelicet ac deorsum tẽdit: nõnulla circularis, quæ in orbẽ circũagitur: ut cæli latio, recta, & in gyrũ, Sex itaq; spẽs hic tradit motionis, lationẽ in rectã et circularẽ nequaq̃ diuidẽs. At in naturali auscultatio

B ne, genus esse uult mutationem. eiusq; tres esse species, motum, generationẽ, corruptionẽ. motum nanq; a generatione et corruptione illa in aduersum distinguit. Non. n. uult illic gñationem aliquorum manentiũ mutationẽ esse, formãq; obtinentium, uerũ secundũ illorũ aliqd' quæ circa eam accidunt. Iccirco quæ mouentur, ea secundũ quantum, uel quale, uel locum inquit moueri, substãtialem formam quæ ab initio fuerat seruantia, in gñatione uero ac corruptione uetus forma in eo qd' mutatur non manet. quoniam gñatio uia est a quoquo mõ non ente in ens quodam mõ. hoc est ab eo qd' ptãte est in ens actu corruptio cõtra uia est ab ente in non ens. Verũ hic quoniã introductorius liber est, et logicus magis, nõ physicus, exacta de his rõne nõ disserit: sed gñationẽ quoq; et corruptionẽ motiones esse pronunciat, qñquidẽ nõ ut physicus hoc loco, sed ut logicus disputat, quærens in his quæ quibus sint, uel nõ sint cõsequẽtia.

76 Alij itaq; motus palã est qd' abinuicẽ diuersi sunt. nõ. n. est gñatio corruptio: neq; augmentũ diminutio, neq; secũdũ locũ mutatio: siĩr aũt et alij. In alteratiõe uero hẽt quandã dubitationẽ, ne sit forte necessariũ id

C qd' alterat' p aliq̃ reliquarũ motionũ alterari. hoc aũt, non uerũ est. nã secundũ oẽs penes passiões aut cõplures accidit nos alterari, nulla aliarũ cõicãte motionũ, nã neq; augeri necessariũ est quod p passionẽ mouetur neq; diminui, siĩr aũt et in alijs. quare alia præter alios motus erit alteratio. nã si eẽt eadẽ, oporteret id qd' alteratur, mox & augeri, uel minui, uel quandã aliarũ motionũ sequi: sed nõ necesse est siĩr aũt et qd' augetur aut alia aliqua mutatione mouetur, alterari oporteret sed sunt q̃dã quę augmentãtur q̃ non alterãtur: ut quadratũ gnomone circũposito creuit quidẽ, altaratũ uero nihil factũ est. sic et in alijs huiusmodi, quare alij motus sunt abinuicẽ. est aũt simpliciter motui quidẽ quies contrariũ. ijs uero quę per singula sunt et singula. gñationi quidẽ corruptio cõtrariũ: augmentationi uero diminutio: scdm locũ mutatiõi, scdm locũ quies. maxime autem uidetur opposita esse ad cõtrariũ locũ mutatio: D ut ei quę inferius est, ea quæ superius est: et ei quę superius est, ea quę inferius est. reliquo uero assignatorũ motuũ non facile est assignare quid forte est contrarium. uidetur aũt nihil esse ei contrariũ. nisi quis et in hoc secundũ qualitatẽ quietẽ opponat: aut in cõtrariũ qualitatis mutationem sicut et in mutatione secundum locũ, quietem secundũ locũ aut in contrariũ locũ mutationẽ. est enim et alteratio mutatio secundũ qualitatẽ. quapropter opponitur motui secundũ qualitatẽ, quies secundũ qualitatem: aut in contrarium qualitatis mutatio: ut album fieri ad id quod nigrũ est fieri. alteratur enim, in contraria qualitatis mutatione facta.

Motus itaq; alios inter se diuersos esse constat} Postquã spẽs enumerauit motus, hic eas deĩceps a se mutuo distinguit, ostẽditq; quonam pacto nõ sint eædem. neq;. n. gñatio inquit corruptio est. neq; augmentum diminutio. quo modo. n. qñquidem sunt et contra= E riæ? sed nec auctio est gñatio. ens. n. augetur: non ens fit. nec decrmẽtũ corruptio. nam et in his eadem rõ cõgruit. significat. n. decretio remissionẽ entis secundum quantitatẽ: corruptio absolutã entis abolitionẽ. Neq; uero rursus localis mutatio cuiquã supradictorũ consentit. nã qd'a loco in locũ demigrat. id neq; gignitur, neq; corrumpitur, neq; augetur, neq; minuitur. neq;. n. si Athenis uerbi gratia, pfiscisçatur Corinthũ Socrates, aliqd' ex dictis patietur unum sed idem manens per omnia, loco solo dimouetur {Verũ in alteratiõe dubitatio habetur nõnulla. fit ne id qd' alteratur necesse cuius q̃ reliquarũ motionũ modo alterari} Quod alias quidẽ inquit motiones oẽs nõ eædẽ inter se sint, nemini dubiũ fuit. at in alteratione quærendũ est, an qd' alterascit, id secundũ gñationẽ, uel corruptionẽ, uel incrementũ, uel decrementũ, uel aliq̃ cæterarũ alteretur. Sed non est uerũ hoc inquit. nãq; in plurimis affectibus, calefactione in quã, pfrictione, ac similibus, alteramur quidẽ prorsus, nõ tñ quenq̃ ex reliquis motũ perferimus. neq;. n. augeatur omnino qd' calescit aut refrigeratur, uel decrescat, uel fiat, uel corrũpatur, aut reliquorũ quodpiã oportet sustineat. quare seiuncta ab alijs motibus est alteratio {Eadẽ. n. si esset, protinus qd' alteratur uel augeri uel minui oporteret} Si idẽ uni esset inquit aliorũ motuũ alteratio, opus esset oĩno qd' alteratur, reliquorũ ẽt motuũ quẽpiam sustineret, minime uero id nũc accidit. nã corpora q̃dẽ in sole uersata calescendo nigrescẽdoq; alterãtur: non tñ huiusce rei gratia augẽtur, minuũtur ue, aut cæterorũ aliquod perpetiuntur. eadẽ potes & de ijs dicere quæ a frigore, aut quouis aliter modo alterantur {Similiter et quod augetur, aut alijs quibusdã cietur motibus, alterari} Sermonẽ uice inuersa probat. non. n. inquit solũ si idẽ alijs motibus esset alteratio, id protinus quod alteratur uno quoq; aliorũ motuũ cieri oporteret, sed cõtra et siquid secundũ augmẽtũ, uel decrementũ, uel cæterorũ aliquẽ motũ esset, id statim quoq; alterari. quãquã maxime cæteris motibus alteratio prior existat, siue ipsos consequatur. nã alteratius quoq; oĩno fiat oportet qd' augetur. siquidẽ cibũ alterari primũ in sanguinẽ opus est augescẽtibus: atq; illũ in carnẽ. nec fieri aliter nõ præcedẽte alteratione incrementũ posset. sed antecedit quoq; alteratio quæ generãtur. nã semen alteratur in sanguinẽ potest: sanguis in carnẽ: ac quouis aliter modo leges postulent. naturæ. Et uero in motibus alijs oĩbus est alterationẽ uel consequentẽ uel antecedentẽ contẽplari. Nã que locali cientur motu-

F

G *præsertim si plus sint contẽtiusq; agitata, alteratio sequitur. nimirum ijs quæ mouentur cõcalescentibus. Tametsi ergo alios ut dixi motus sequitur alteratio, non idem tamen ex hoc alijs motibus alterationem esse affirmamus. Quãdoquidẽ uel localis motus alios omnes comitatur. nã & quod gignitur, & q; corrumpitur, locali quoq; agitatu prorsus mouetur. similiter augescẽs quoq; ac decrescens. nam singulis his localis motus necesse est antecedat. qui nisi sit aliorum quenquã fieri haudquaquam potest. Nam siue in commune rem æstimes, appropinquante sole & recedente uniuersalis generatio corruptioq; consistit. siue priuatim perpendas semẽ uidelicet in terram uel etiã in uterum cadat oportet. aut mas quoq; fœminam adeat. hoc aũt localis est motus. & in corruptione uidelicet congressa elementa a seiuicem opus est discernãtur. Porro in augmento & decremento prospicua est loci mutatio. siquidem maiorem ex minore locũ obtineat oportet quod augetur. & minorem ex maiore quod deminuitur. Sed id etiam q; alterascit: tum q; a profundo ad superficiem qualitas, ut in erubescentibus, uel pallescentibus permeet: tum q; alterans appropinquare alterascenti sit necesse. Verum et si motum omnẽ localis consequitur motus, quod tamen sit ab iis alius, plane dilucidet. quandoquidem, & si luci ex*

H *positum corpus omnino comitatur umbra, non ob id tamen & umbra iam corpori in luce posito est idẽ. sic ergo & in alteratione, quãuis motus hæc alios oẽs sequatur, non ea tamẽ de re idẽ quoq; est illis: quando ne motionis quidem omnis comes est alteratio. Nã quæ per additionem augentur, crescunt quidem (euadunt. n. ex minoribus maiora) ut si aqua cisternæ addatur. sed non fiunt alteratiora. quippe aqua in ea contenta, affusa alia creuit non alterata. Et quæ extrahitur recta linea, non alterascens augetur. Verũ nec quidquid alteratur augescit: si qui discit, qui irascitur, qui metuit, non augescendo alteratur. id quod uel ipse declarant sibiũgit, atq; inquit {Quadrangulus circũposito ipsi gnomone augescit quidem, at non alteratius euadit} Nam & auctus, manet etiam quadrangulus. quare ne decrementum quidẽ est alteratio. siquidẽ detracto a quadrato gnomone, quadratum quod reliquũ est mansit. Verum quoniam alterationis a cæteris motibus diuersitatẽ ostendere uolens Aristoteles quadranguli gnomonisq; cõmeminit, age uerba illa exponamus. Gnomonem igitur Geometræ unũ quẽpiam ex ambientibus diametrum quadrangulis nominant, ubi cum duobus simul complementis fuerit. quo aũt plana ea quæ dicimus fiant, sermonem in hoc ipso descripto meditemur. Spatium esse dicitur quadrangulus quod ab lateribus quatuor inuicem equalibus, et rectis angulis continetur. Sit ergo quadrangulum spatium. a b c d. quod æquales quatuor angulos, & æqualia totidem habeat latera. ducaturq; per ipsum diameter. b c. in latere aũt. a b. sumatur punctũ. e. uerbi causa. atq; ab ipso. e. puncto, ab utrauis a c, b d. costarum æquæ distans ducatur linea: sitq; hæc e f. ab. a c. uero latere abstrahatur. a g. linea æqualis lineæ. e b. perducaturq; a. g. puncto linea quæ ab. utrolibet a b. c. d. laterum pariter distet, sitq; hæc. g h. quæ e. f. lineam in. k. puncto intersecet. fiunt quatuor itaq; intra a b. c d. quadrangulum spatia. quorum duo diametrũ ambientia, nempe & e b. h k. & k g. c f. sunt quadranguli reliqua duo, complementa nũcupantur. Vnum ergo utrũuis quadrangulorũ. g c. f k. uerbi gratia cum ambobus complementis, quæ sunt. a e. k g. & k h. d f. gnomon uocatur. Quo aũt modis similis: a b k h. quadrangulus a b c d. quadrangulo sit, haud obscura est probatio. Gnomonem igitur contemplare. nam e b h k. quadrãgulus per. a b c d. quadrangulum auctior euasit, alteratusq; minime est. siquidem paruus auctus quadrangulus, similiter existens quadrangulus mãsit. At uero tametsi a toto quadrãgulo, qui est. a b c d, gnomonẽ. a e g h c d. detraxeris, quadrãgulus tũ. e b k h. relinquitur. atq; id totũ quidẽ q; ab initio fuerat decreuit ac minus euasit nequaquã uero est alteratũ sed species ipsa mansit quadrãguli. Quod si neque decretto, neque augumen-*



tũ, qui motus est in quantitate, spẽi quadrãguli proprietatẽ dimouit, patet motum alium secundum qualitatem, aliud augmentum decrementumq; esse. at si sint hæ mutationes diuersæ, multo magis quæ per generationẽ atq; interitum fiunt {Est porro simpliciter motui quies contrarium. Nunc tertium deinceps eorum quæ diximus quærit in disputatione de motu, quali nam motus inquam speciei qualis repugnet. atq; omni quidem inquit cõmuniter motui opposita est quies. Nam si motus transgressio quædã ac ula est uel ex entibus in non esse, uel contra ex potestate in actum, uel a loco in locum, uel a minore in maius, & econtrario, uel ab esse tali in tale esse. ut ab albo in nigrum, quies autem status est quidam, iure omni motui contrarium est quies. Specialius uero motus obiacent inquit ex opposito inter sese distinẽti: generationi quidem corruptio: diminutioni augmẽtum. locali uero motui obstat quies præcipue. neq; iniuria: quandoquidem notior alijs est potissimum hic motus: atq; in hoc maxime motus nomen fert multitudo. Cæterum specialius quoq; ipse sibiipsi potest hic motus opponi secundum diuersas loci dimensiones partitus: ut latio ascendens sit descendenti opposita: procedens recedẽti: dextrorsum tendens in læuam deflectenti { Reliquo autem proditorum motuum nõ facile est quodnam sit contrarium assignare} In motuum quoq; discretione is fuit rursus de quo quærebamus, alteratio inquam, Et huic igitur inquit opponẽda est qualitatis quies, perinde ac locali. & mutatio qualium in contrarium ut ab albedine in nigricem.

DE VERBO HABERE.

HAbere secũdum plures modos dicitur. 77
Aut enim ut habitum et dispositionem, M
aut aliam aliquam qualitatem, dicimur enim disciplinam aliquã atq; uirtutem habere. Aut ut quantum, ut quam contingit aliquis habens magnitudinem. dicitur enim tricubitam habere magnitudinem, uel quadricubitam. Aut ut ea quę circa corpus sunt, ut uestimentum uel tunicam, Aut ut in parte, ut in manu annulũ. Aut ut partem, ut manum uel pedem. Aut ut in uase, ut modius grana tritici, aut amphora uinũ. uinum. n. habere amphora dicitur, & modius grana tricici. hæc. n. omnia habere dicuntur, ut in uase. Aut ut possessionem. habere enim domum & agrum dicimur. Dicitur autem & uir uxorem habere: & uxor uirum. Sed qui nunc dictus est modus, alienissimus est eius quod est habere. nihil enim aliud uxorem habere significamus, quam quod cohabitant.

Forte

A *Forte tamen & alij quidam eius quod est habere apparebunt modi: sed qui dici consueuerunt, pene omnes enumerati sunt.*

Habere autem pluribus dicitur modis. nam aut perinde atque habitum & dispositionem, uel qualitatem quamlibet aliam} Aequiuoca nox est habere. non enim decem prædicamẽtorum unum tan

B *tum significat sed alia quoque complura, nam & habere scientiam dicimur, & uirtutem, ac quotquot enumerantur alia. Proprie uero habendi prædicamentum substantiæ circa substantiã amictũ declarat: ut cum circumpositum pallium, uel annullum, uel calceos dicimus. habere autem uxorem, uel agrum, uel id genus aliquid, aliud quiddam est. Ergo ne ex equiuocatione fallamur, distincte nobis hoc loco quot nam modis habere dicatur exposuit. An uero*

C *quoniam de substantia, & quanto, & quali, & relatione, & faciendo, & patiendo superius locutus, sermonem de cæteris prædicamentis ut minime obscurum prætermisit, finiuit autem & habendi prædicamentum, substantiæ circa substantiam esse obuolutionem inquiens, diciturque alijs etiam modis habere, iccirco nunc de eo sermonem repetit. atque habere alt pluribus modis dicere consueuimus, nam dicitur inquit habere uel penes qualitatem. quippe habitum, aut dispositionem habere, aut scientiam dicimur. uel secundum quantitatem, ut siquis lignum habere tres uerbigratia cubitos dicat. hæc quidem in corpore habentur. Circa uero corpus dicimur, ut uestem, uel locum, uel tantum habere temporis. Dicimur uero & partem habere, ut manum, aut pedem. & ut possessionem, ut domum, aut fundum & ut in uase, ut cum seria habere uinum fertur. ac quoquot aliis modis dici potest habere. Dicere autem inquit habere uxorem, inter habendi significata uidetur esse alienissimum. siquidem uxorem habere nihil est aliud quam uxoris esse contubernalem. alienissimum autem uocat, quoniam nihilo magis habere uxorem uir dicitur quam uxor uirum. Sed respondere ad hoc licet, quod uel in possessionibus, nõ solum habere nos agrũ dicamur, aut seruum. sed ager etiam, & seruus, & uestis dominum habeat. In partibus quoque et toto, non solũ habet partes totum, sed etiã partes integritatem {Fortassis uero et alij quidam uideri possunt habendi modi, cæterũ enumerati ferme sunt omnes qui dici consueuerũ} Rursus uero nisi acquiescere eius uerbis uelimus, modeste nobiscum agens, sunt quidem et alij forsitan inquit habẽdi modi, uerum nos tamen eos qui dici consueuere omnes recensuimus.*

D E

F

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

A B C D E F G H.

G H *Sunt duerni. Cæteri alij terni.*



Venetijs Apud Hieronymum Scotum.
1547.